

Dissertatio inauguralis de hydrophobia ... / submittit Gregorius Uiberlacher.

Contributors

Uiberlacher, Gregorius.
Universität Wien.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Viennae : Typis A. Baumeisterianis, 1782.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bkv9ttqk>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

thom: fovea Clapet

Dip.
+ fontibus indicantur
in motis chorionis

Vicaria 1784 8

Separation ligata

reusa: Egeod

Separat m. S. Hollwae

sol. 1.

Batthol: Sa Battist:

Sip:

Se fennemann merles

Uindoten 1782

oerw: Egent Sip and

Hollien vol 11

Dinty:

in de landpils

15 Jijem geslecht

man.

Wardaten Sip men: Egent Sip in de
Landpils
vol 12.

DISSERTATIO
INAUGURALIS 6.
DE
HYDROPHOBIA,

QUAM
ANNUENTE INCLYTA
FACULTATE MEDICA
IN
ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PUBLICÆ DISQUISITIONI

SUBMITTIT
GREGORIUS UIBERLACHER,
VINDOBONENSIS,

DISPUTABITUR *Dhan*
IN UNIVERSITATIS PALATIO
die Mensis Decembris anni MDCCLXXXII.

VIENNÆ
TYPIS A BAUMEISTERIANIS,

Imminens medelam suscipit,
incipiens raro sanatur, facta,
et confirmata lethalis.

L A Z E R M E.

NOBILI, PERILLUSTRI,
A C
CELEBERRIMO
DOMINO DOMINO
JOANNI BAPTISTÆ
BREQUIN^{DE} DEMENGE,
ARCHITECTORUM MILITARIUM
PRÆFECTO,
ATQUE ÆDIFICIORUM BANCALIUM, ET HYDRAU-
LICORUM DIRECTORI.

Has pagellas dedicat

GREGORIUS UIBERLACHER.

ORRILL PERILLUSTRI

OMINO TOMINO

OMINO TOMINO

JOANNI BAPTISTE

FRANCIS BURNINGE

PROFESSOR MATHESIN

PARIS 1780

DE SUIA DIRECTORI

DE SUIA DIRECTORI

DE SUIA DIRECTORI

Beneficia, quæ parentibus, fratribusque meis præstitisti, magna sunt.

Ego igitur beneficiorum particeps factus, ut quoddam tibi gratitudinis testimonium præbeam, in augurale meum tentamen TUO NOMINI sacrum inscribere audeo.

Novi quidem, TE, veritum, ne in laudes TUAS excurram, publicum gratitudinis documentum detestari. Verum, ne modestiæ, verecundiæque TUÆ molestus esse possim, omni laudatione abstineo. Atque eo lubentius abstineo, quo certius NOMEN TUUM, quod ab insigni humanitate, excellenti in omni quidem matheos specie, maxime tamen in architectura civili, & mi-

litari, in physica, historiaque naturali scientia, atque peritia, & ab incredibili in rebus a TE administrandis sedulitate, dexteritate, felicitateque longe, lateque celebratur, meis encomiis adeo non illustrari, ut potius offuscetur, persuasus sum.

Suscipe igitur has qualescunque pagellas benigno, quo soles, vultu, & me, fratres, parentesque meos benevolentia TUA prosequi non dedignare Vale!

autem hydrophobia cum altera male confundere-
tur. Aliam enim, eamque diversissimam causam
habet, mitior plerumque est, & medendi methodo
morbo principi accommodatæ sæpe feliciter cedit,
nec contagio propagatur. Hinc ut ab altera quæ
vulgaris, contagiosa, & primaria dicitur, distin-
quatur, spontaneæ, symptomatice, & secundariæ
nomen accepit.

§. 3.

Hydrophobia (vulgaris) antiquissimis quidem
medicis, & vel Patri Aesculapio cognita fuit; a
Celso a) tamen primum descripta, & postea a Ga-
leno b) maxime autem ab Aureliano c) uberrime
explanata est. Subsequentium temporum medici
morbi historiam suis observationibus locupletare
veram indolem detegere, & certam curandi me-
thodum constituere adlaborarunt.

§. 4.

Citissime decurrit, & paucorum dierum spa-
tio occidit, febrim etiam plerumque comitem ha-
bet; hinc inter morbos acutos numerare oportet.
Subinde autem lento gradu incedit, aut epilepsiæ
instar certis temporibus redit, & abit; tuncque,
ad chronicos potius pertinere videtur.

§. 5.

Non sponte, sed recepto ab animalibus, im-
primis domesticis canibus, & felibus rabie affec-
tis contagio nasci solet. Nata, ut animalium ra-
bies communicato contagio aliis immittitur.

§. 15.

a) De Med. Lib. 5. c. 27.

b) De simpl. Medic. facult. L. 11. c. 1.

c) L. 3. c. 25.

§. 6.

Rabies autem animalium ex causis internis oritur. Non tamen omnia animalia spontaneam patiuntur. Sola canum generis animalia canes, lupos, & vulpes absque contagii labe, reliqua, feles, equos, asinos, mulos, camelos, boves, fues, gallos gallinaceos, gallinas anseres, anades, lepores, urfos, leopardos, simias &c. contagio infecta rabiosa fieri sedula observatio docuit.

§. 7.

Causæ, quæ rabiem canibus inducunt, sequentes sunt:

1ma magnus aeris calor, aut frigus, & caloris, frigorisque vicissitudo. Hinc sæpe in regionibus frigidis, sæpius in calidis, sæpissime in regionibus, ubi & æstas, & hyems modum excedit, raro autem in temperatis occurrit. Hinc æque fervidissima æstate, ac asperrima hyeme observatur. Hinc ab immoderata cubiculorum, in quibus canis degit, calefactione, a repentina canis ex calefacto cubiculo in aerem gelidissimum processione, similique causa inducitur.

2da cibus carneus, pinguis, subputridus, putridus, admodum salsus, aut aromaticus.

3tia potus aquæ stagnantis, infectis imprægnatæ, putredine corruptæ, salinæ.

4ta fames, sitisve diu tolerata.

5ta esculentorum & potulentorum fervidorum aut gelidorum æstuante corpore ingurgitatio.

6ta cursus nimium incitatus, aut diutius continuatus.

7ma coitus petulantior, protractior.

Hæ causæ sæpe quidem solæ, sæpius tamen aliis junctæ rabiem creant. Æstus corporis a calore atmosphæræ, cubiculi, cursu, coitu &c., & victus putridus, salsus aquæ defectu comitatus aut usus aquæ salinæ, putrefactæ ciborum inopia stipatus canes certius, citiusque rabie afficit. Male vermes accusantur. Frequentissime enim omnis ge-

neris vermes in cadaveribus canum non rabioforum reperiuntur, a) & in rabie peremptorum subinde frustra quærentur. b) Pessime autem vermiculus sublingualis catulis non exemptus rabiei causa assumpta fuit. c) Qui enim vermiculus canum dicitur, peculiaris, quasi tendi nosa, & quandoque quasi subcartilaginea musculis vicinis ope telæ cellulosæ adnexa substantia est, qua pro longitudine tenuior canum lingua firmari, suisque in motibus adjuvari videtur. d) Hac etiam dudum exacta rabies observata legitur. e)

Ex similibus causis, maxime autem ex fame, & acriore gelu lupi & vulpes rabiosi fieri videntur.

§. 8.

Nascente in canibus rabie sequentia signa se offerunt: tristitia; cibi, potusque inappetentia; tardus, segnisque, vocante heros, accessus; fuga hominum, atque amor solitudinis, & latebrarum; murmuratio, ululatus, nullus autem latratus; ingressus languidus, subtitubans; caput somnolentum, nutans; aures, caudaque demissæ; oculi tristes, lachrymosi; nares mucosæ madidæ, stillantes; os apertum; lingua sordibus obducta.

Hic est primus mali gradus. Ex eo autem rabies certo prædici nequit. Eadem enim symptomata in aliis canum morbis observantur. Ex secundo autem gradu certa affirmari potest.

Hoc subeunte canis omnem cibum, maxime autem potum averfatur; vocem quamcunque non percipit; neminem, ne herum quidem suum amplius agnoscit; oculos nunc flammeos, trucesque
con-

a) Swieten in comment aph. 1134.

b) Portal, Bemerkungen über die Natur, und Heilung der Wuth 1c. c. 4. p. 54.

c) Plinius, Histor. nat. T. 29. c. 5.

d) Morgagni, Epist. 8. n. 35.

e) James, treatise on canine Madness. p. 202.

contendit, rotatve; inquietus est; accessuros indignatur, accedentes autem mordet; emaciatur; improbe masticat; ore hiantē spumat; linguam sordidam, plumbeamque exferit; anhelat; aquam, & omne aquosum horret; domicilium, qua data via fugit; profugus contentis oculis, demissa cauda celerrime, & recta plerumque via decurrit, amni, fluviove si forte occurrit, territus terga vertit; obvia quæque plerumque invadit, mordet; canes, a quibus odoratu procul certissime noscitur, summo terrore incusso in fugam conjicit; viribus fractis vacillans somnolenti, ebrüve instar incedit, confusis collabatur; collapsus quasi terræ affixus jacet, raro refurgit, & membra resoluta trahit; convellitur; moritur.

Alter hicce gradus raro in diem tertium, rarissime in quartum, & sæpe vix per triginta horas fertur.

Enarrata rabiei phænomena sunt symptomata febris acutæ, quæ accedente altero morbi gradu erumpit, & cum symptomatum omnium, maxime furoris augmento per vices exacerbatur.

Subinde contingit, ut morsu a cane inflictō de canis, qui vel aufugit, vel antequam evidentia rabiei signa exhibuerit, occisus est, rabie dubitetur. Hoc in casu cel. Petit a) frusto carnis elixæ fauces, dentes, & gingivas canis mortui fricare & carnem affricatam cani offerre suadet; si mortuus canis rabiosus fuit, oblatam carnem cum clamore repudiari sin minus avide comedi asserit. Cum autem canes, quid quid caninum cadaver olet, nisi forte ingenti fame coacti respuant, b) incertitudinem hujus experimenti intelligimus. Antiquiores alia ratione sibi dubium solvere consueverunt. c) Micam panis vulneri inflictō per noctem

im-

a) Academ. des sciences 1723. Hist. p. 39.

b) Jonston, Taumatographia. Cap. 7.

c) Lanfrancus, Chirurgia magna, & parva. Palmarius de morbis contagiosis.

imposuere aut sanquini ex vulnere fluenti immi-
fere, inde avi, gallinæve propinavere si repudia-
batur, aut si assumpta brevi necabat, veneno ra-
biofo tinctam fuisse pronunciavere.

Quæ alia animalia sive sponte, sive contagio
recepto afficit rabies, similibus ac canina signis se
manifestat.

§. 9.

Modi, quibus tetri morbi venenum commu-
nicari potest multiplices sunt Communicatur enim
1mo morfu vel levissimo etiam, 2do osculo sive
ab aquifuga sano, sive a sano aquifugæ infixio 3tio
linctu, 4to aspersione salivæ, 5to contactu salivæ
recentis, 6to applicatione corporis venenata saliva
etiam dudum exsiccata infecti linguæ, gingivis,
labiis. Sunt quidem, qui venenum sola salivæ in
corpus per morsum immiffione, aut interventu alius
corporis in os receptione, non vero applicatione
ad cutim quomodocunque facta communicari posse
asseverant. Verum cum cl. viri hydrophobiam a
saliva cuti absque vulnere admota subsecutam vi-
derint, facile contrarium evincitur. Quod quan-
doque saliva cutim absque noxa contigerit mirum
non est. Ablutione enim haud dubie illico insti-
tuta facile abstergi potuit.

Olim venenum non solum salivæ, verum etiam
carnis, lactis, sanquinis materiæ perspirabilis &
sudoris, halitus, seminisque suscepti interventu
communicari creditum fuit. Verum cum indubiis
observationibus constet, carnem, lac, sanquinem,
aliamve animalis rabiosi partem assumi, cutim hy-
drophoborum etiam sudore madentem tangi, com-
prehendi, hydrophobis adstari, cadavera hydro-
phoborum aperiri, vulnera instrumento, quo ani-
mal rabiosum occisum, aut cadaver hydrophobi
dissectum fuit, infligi, coitum denique celebrari,
quin hydrophobia subsequatur, hodie nil nisi saliva
noxia habetur. Infelices, qui ab alia, quam sali-
vali animalis rabiosi hominisve hydrophobi parte
hydrophobiam contraxisse visi sunt, aut simul,
aut.

aut occulta quadam ratione saliva inquinati censentur.

§. 10.

Communicatum venenum non illico agere, sed, donec aut mora temporis sponte actuosum fiat, aut causarum excitantium accessu in actum deducatur, iners latere solet. Nunquam ante primum, raro ante tertium, sæpe circa octavum, sæpissi me circa quadragesimum a veneno suscepto diem hydrophobia comparet. Subinde post plures menses, imo post annos etiam, magnis non raro humorum mutationibus v. g. feбри variolosa intercurrentibus, inopinate erumpit. Visa est post quatuor a) sex b) septem c) decem d) menses, post annum e) post duos f) sex g) septem h) decem i) octodecim l) viginti m) quadraginta denique n) a morfu inflicto annos. An autem omnes ejusmodi ferotinae hydrophobiae causis, a quibus repetitæ sunt, adscribendæ fuerint, dubitare licet. Possunt enim spontaneæ, symptomaticæ fuisse; possunt a recente contagio occulto quodam modo recepto originem traxisse.

§. 11.

-
- a) Mathiolus in Discorid. p. 1008.
 - b) Aët. nat. curios.
 - c) Aeginetta L. 5. c. 3. p. 74. Aëtius L. 6. c. 24. p. 107.
 - d) Schenckius, libro citato.
 - e) Galenus. Bauhinus, hist. luporum aliquot rabidorum
 - f) Chirac, Centuria I. Obs. 96.
 - g) Braunschweigius, in Chirurgia.
 - h) Aurelianus.
 - i) Chirac.
 - l) Salmuth.
 - m) Schmidius, Miscell. cur. dec. I. ann. 9. p. 117.
 - n) Gasp. à Reies Elyf. jucund. Quæst. Camp. qu. 61. n. 11.

§. II.

Varia demorſi natura, varius ſex rerum non naturalium uſus, varia partis demorſæ conditio, major denique minorve veneni truculentia cauſæ, cur venenum modo citius, modo ſerius operari incipiat, eſſe ſolent. Experientia enim docuit: 1mo homines irritabiles, calidos, bilioſos, juvenes magis, torpidos, pituitoſos, frigidos, ſenes minus in hydrophobiam vergere, 2do hydrophobiam mente ſecura & hilari diu ſilere perturbata autem, triftitia, metu, terrore, ira &c., affecta brevi inſeſtare. 3tio Atmosphæra calida frequentius, frigida rarius invadere: 4to cibo, potuque calefaciente, exercitio corporis valido, perſpiratione, alvo ſuppreſſis maturari, & e contra diæta anti-phlogiſtica, quiete corporis, excretionibus libere procedentibus procraftinari. 5to Eo citius comparere, quo vulnus inſiſtum glandulis ſalivalibus propius eſt, ideoque v. g. facie, collove demorſis poſt paucos, tres, quinque, ſeptemve dies, artubus autem vulneratis poſt plures ſeptimanas, menſeſve ſequi. 6to Eo celeriore paſſu accedere, quo venenum morſu immiſſum ſive ex majore rabiei gradu, quo vires acquirit, ſive ex fervidiore animalis rabioſi ira, qua exacerbatur, efficacius fuit.

§. 12.

Dum contagium communicatum ætuoſum fieri incipit, plerumque in parte contagio infecta prima ſigna comparent. Vulneris conſolidati cicatrix prurit, dolet, ardet, rubet hincinde elevatur, aſpera & inæqualis fit, ſæpe etiam dehifcit, & rubellam, atramve, fætentem, acrem, lintea tamen immiſſa non corrodentem ſaniem ſtillat, carnem quaſi fungoſam & corrupto ſanguine farctam, labia autem retorrida - exhibet: ambitus intumeſcit, & molleſcit. Simili modo vulnus contagio æturo nondum cicatrizatum mutatur. Circa locum demorſum, & vicina dolores pungentes preſſorii,
alii

aliive, vagi, quasi rhevmatici percipiuntur, qui subinde trium, quatuorve dierum spatio ad cerebrum usque adscendunt, tunc vertiginem faciunt, & hydrophobiam brevi secuturam nunciant. Si cuidam parti absque vulnere v. g. linctu contagii labes impressa fuit, hæc dolere, ardere solet.

Huic partis affectæ mutationi caterva symptomatum succedit: lassitudo; gravitas; mæstitia; amor solitudinis; inquietudo; frequens leipothymia; suspiria; anxietas; pectoris constrictio; respiratio difficilis; vox interrupta, tremula, mox acuta, mox gravis, subinde etiam per breve tempusculum perdita; faucium angustatio; inappetentia; colica; alvus inordinata; urina aquosa aut sponte fluens, aut difficillime mittenda; perspiratio parvior; cutis sicca, aspera; facies pallida, contracta; frigus continuum, per momenta acutissimum; musculorum tremor; maxillæ inferioris motitatio, aut ad superiorem arcta appressio; somnus inquietus in somniis horrendis, convulsiones etiam excitantibus, aut febrili rigore, calore, sudore turbatus; pulsus aut immutatus, aut debilis, parvus, iuæqualis, intermittens.

Hic est primus morbi gradus (die stille Wuth) quem citius, seriusve post dies plures, paucioresve, post septimanam unam alteramve, post mensem etiam secundus (die offenbare Wuth) excipit.

Hoc subeunte frigus recedit, & calor æqualis per totum corpus diffunditur. Is brevi ita increfcit, & locum demorsum partesque interiores maxime caput, & fauces tam vehementer afficit, ut ægerrime feratur. Qua proportione calor augetur, eadem pulsus elevatur, ita, ut demum fortissimus, vibrantissimus, celerrimus fiat. Hujus febris vehementia subinde tanta est, ut delirium, convulsiones, apoplexiam, & mortem inducat. Continua est, sed per vices remittit, & per vices exacerbatur. Raro febris abest. Subinde frigori universi corporis pulsus debilis, nunc celer, nunc tardus omni modo malus, & syncope frequens jungitur. Aliquoties in brachio demorso intolerabilis

ardore affecto pulsus debilis, & parvus, in opposito autem fortis, & magnus observatus est.

Eodem tempore sitis, & cum siti potus desiderium accedit. Sed, res miserrima! aquæ, & omnis aquosi deglutitio impossibilis est. Subinde fieri quidem potest, sed insigni cum difficultate, & acerrimo eam dolore. Si, siti urgente, tentatur, horror, anxietas, convulsio, furorve sequitur. Aquæ etiam conspectus, nomen, & quidquid aquæ ideam renovat, res pellucida, vel speculi ad instar reflectens v. g. glacies, vitrum, lamina metallica polita, splendidus culter, aut gladius &c. ferri nequit, & tremores, musculorum faciei distorsiones summam respirandi angustiam &c. creat. Ipsa saliva quæ magna copia in os fluit, cum horrore longe exspuitur. Ossa autem solida plerumque facile, citoque deglutitur, & sæpe avide comeditur. Cum hydrophobia alia quoque gravia symptomata comparent. Aeris vel levissimus motus, & minimus etiam sonus validissime afficit, & sæpe totum corpus turbat: hinc januæ, fenestræve apertura, celerior cujusdam accessus, clamor &c. molestissime fertur. Subinde in locis tranquillissimis susurri, strepitus, fragores, latratus &c. audiuntur.

Lux etiam offendit, Ideo aut obvelata facie, aut obductis fenestris tenebræ parantur. In ipsis autem his tenebris radii solares potentissime in oculos agunt, ita, ut omnia etiam minima objecta, & sæpe etiam scintillæ, fulguresve conspiciantur.

Ineluctabile adstantes conspuendi, vel etiam mordendi desiderium sæpissime per vices invadit. Facies sanguine suffusa, oculi immobiles, flammei, lucidi (si nox fuerit) musculorum faciei distorsio, clamor, & ferox lædendi conatus furentes refert; omnis tamen furor abest. Ægri, dum paroxysmum instare præsentiant monent, ut adstantes sibi consulant, ut a morfu & sputo suo caveant; fuere etiam, qui vincula sibi injici non solum permiserunt, verum etiam suaserunt. Summa etiam rabie accensû timent, ne aliis noceant. Sunt tamen, qui

delirant, furunt, & viribus musculorum ad prodigium usque magnis vix funibus coerceri possunt. Subinde mens continuo aberrat; plerumque autem sana perstat. Interea sæpe admodum mutata est. Plurimos ingens metus tenet, ita, ut undique mala imminere censeant: multi tanta inquietudine affecti sunt, ut continuo fugam moliantur: quidam amicos odio persequuntur &c. Satyriasis, & libidiosa seminis ejaculatio viros, nymphomania fœminas frequenter afficit.

Dolores acerbissimi plerisque discruciant, ita ut mortem, certissimum, & citissimum solamen, vi sibi inferant, aut ab aliis inferendam expetant. Appetitus antea imminutus nunc plane prosternitur; vomitu materia pituitosa biliosa, porracea, fusca, & sæpe cum levamine ejicitur; alvus pertinacissime clauditur; urina rubra, spissa mittitur, parce secernitur, & subinde etiam supprimitur. Omnia hæc symptomata continuo pejora fiunt; interea etiam priora exacerbantur. Ita ægri conditio calamitosissima evadit.

Morbo admodum provecto universa corporis superficies siccissima & asperrima fit, & sæpe maculis hincinde deturpatur; facies insigni rubore perfunditur inflatur; palpebræ & labia livescunt, nigrescunt; oculi sanquinei aut contenduntur, aut rotantur; spumosa saliva os circumfluit; lingua arida, atque aspera ex ore prominet; vox rauca interrumpitur, perit; anxietas, & respirandi difficultas summa; corpus vel convulsionibus exagitur, vel spasmo riget, vel paralyti resolvitur. Is autem miserrimus ægrorum status non diu durat. Brevi enim vires collabuntur, pulsus incipit vacillare, imo de ficere, respiratio summo molimine peragitur, sudor gelidus, viscidus per totum corpus exit, & mors plerumque convulsionibus stipata malo finem imponit.

Raro vel nunquam quartum diem hic morbus ex cedit ab accessu aquæ metus imprimis computando. Subinde veneno actuoso reddito morbus quidem hydrophobicus comparet, suis symptomatibus levioribus, gravioribusve, ipso etiam aquæ

metu stipatus afficit, & exactis aliquibus diebus disparet; post mensem autem, mensesve, post annum, annosve redit, solito sese modo gerit, iterumque abit, atque ita periodice accedit, receditque. Quo autem sæpius revertitur, eo plerumque mitior, & brevior est, & tandem ægro valet dicit. Schmidius, a) Hildanus, b) Layard c) aliique ejusmodi hydrophobias narrant.

§. 13.

Cadavera hydrophoborum varia, & sæpe sibi opposita offerunt: Habitus plerumque est siccissimus, quasi tabe peremptorum, subinde tamen satis plenus, non raro maculis lividis, nigrisve hinc inde deturpatus; tela cellulosa subcutanea & omentalis sæpe in anis, raro pinquedine distenta; musculi plerumque exsuccii, & quasi consumti; cerebrum, cerebellum, medulla spinalis, cor, pulmones, pancreas, hepar, lien, & omnia viscera fere semper solito sicciora; sinus duræ matris frequenter nigro, spisso, grumosoque, aut fluido etiam sanguine dilatatæ; vasa piæ matris crebro infarcta, raro inflammata; cavitates cerebri utriusque sæpius inanes, rarius lymphæ, serove inundatæ; nares, fauces, velum palati, lingua flavo, virescenti, tenaci mucosæ frequenter obducta; uvula sæpe minor, contractior; pharynx œsophagus, & aspera arteria sæpe quidem inflammata, aut etiam subgangrænosa, sæpius tamen sana, rariore casu œsophagus valde angustus, & contractus inventus; ventriculus & intestina subinde a phlogosi rubent, plerumque autem sui coloris sunt, cavitas autem ventriculi sæpissime materiem pituitosam, biliosam, flavam, porraccam, fuscam gerit, & ea intestino-

b 3 rum

a) Miscell. cur. dec. I. ann. 9. p. 118.

b) Observ. chirurg. cent. I. p. 65.

c) Libro citat. p. 104. 132.

rum aere elastico distenditur; hepar plerumque integrum, quandoque inflammatione tumefactum, aut gangræna corruptum; vesicula fellea vix non semper bile tenaci, viridi, atra plena; pulmones persæpe multo sanguine infarcti turgent, perraro marcidi flaccent, quandoque inflammatione correpti sunt; pericardium aut omnino nihil, aut solito plus sui humoris habet; cor aut vacuum, aut grumis, polypisve repletum, subinde (aere elastico) dilatatum; arteriæ sæpe vacuæ, venæ autem plenæ, raro vice versa arteriæ plenæ, venæ vacuæ; (non autem in toto arteriarum, & venarum tractu, sed in ejus parte tantum v. g. in sola arteria aorta, & vena eava, aut in solo arteria & vena iliaca hæc vacuitas, aut plenitudo invenitur) sanguis sæpe sanguini plerorumque cadaverum similis, omni vitio caret, subinde autem dissolutus est, & vix in aere coit, & subinde coagulatus deprehenditur; universum cadaver quandoque horrendum fætorem spargit, & cito vel media etiam hyeme computrescit, plerumque autem summa hac in putredinem proclivitate expers est. Cadavera animalium rabiosorum simili modo sese habere videntur. Cel. Portal in aperto canis rabie perempti cadavere pharyngem, & laryngem inflammatum, œsophagum, ventriculum, & intestina tenaci materie obducta pulmones sanguine turgidos, grumos sanguineos in corde, aquam rubellam in pericardio, reliqua omnia naturalia invenit.

§. 14.

Historia morbi brevissime exposita naturam tam morbi, quam veneni paucis monstrare convenit.

De hydrophobiæ natura multiplex sententia prolata est. Bonnet, a) Bartholin, b) Default, c) alii-

a) Sepulch. anatom. tom. I. l. I sect. 8.

b) De rabie contagiosa.

c) Dissert. sur la rage.

aliquæ verminosum morbum esse pronunciarunt. Hæc autem sententia, postquam vermes in canum cadaveribus sæpe frustra quæsitæ sunt, exolevit. Codronchi a) cordis vitium accusat. Verum & si cor in hydrophobia affectum sit, omnium tamen malorum origo dici nequit. Selig b) febrim malignam vocat, qua totum quidem corpus, maxime tamen hepar, primaria veneni sedes, patiat. Huic autem opinioni repugnat. imo Quod febris, si hydrophobiam comitatur, raro maligna sit, & 2do quod hepar, etsi vitiosum inventum fuerit, sæpe omni vitio careat. Aromatarius c) anginam inflammatoriam morbi causam esse, & ab illa omnia symptomata proficisci censuit. Hanc etiam multi subsequenter medicorum assumerunt. Verum inflammatio pharyngis, œsophagi, & asperæ arteriæ sæpe ab est; non ergo præcipua morbi causa statuenda est. Celeberrima sententia est, hydrophobiam gravem nervosi systematis affectionem esse. Jam Democritus d) ejus sedem in nervis & cerebro esse arguit; & plurimi veterum medicorum idem senserunt. Recentiores unanimi fere ore nervos pati profitentur. Hanc sententiam argumentis fulcire & juvat, & decet.

imo Omnia symptomata & incipientis, & progredientis & in mortem se vertentis morbi nervosa sunt. Horripilatio, frigus, pulsus debilis, parvus, inæqualis, leipothymia, tristitia, amor solitudinis, inquietudo, lassitudo, somnus perturbatus &c. nervorum affectorum signa, subeuntem hydrophobiam nunciant. Vocis frequens mutatio, thoracis constrictio, respiratio difficilis, anxietas, suspiria, faucium angustatio, cardialgia, colica, alvus inordinata, urinæ tenuitas, fluxus aut spon-

b 4

ta-

a) De hydrophobia, helleboro, & sale absynthii. Cent. 3. obs. 48.

b) Differt. citat.

c) De rabie contagiosa.

d) Aurelianus L. 3. c. 14.

taneus, aut impeditus &c. eodem tempore com-
parentia affectiones spasmodicæ sunt.

Aquæ metum, signum morbi pathognomicum, nervosum symptoma esse ostendendum est. Canis imaginem in aqua conspici, hinc aquam horreri male a Baccio (a) aliisque dictum est: omnis enim hydrophobus se aliquid in aqua videre, negat, & vix ullus tecta etiam liquida per siphonem trahere potest. Æque male ægri pertinacia, aut amentia accusatur (b): sitientissimus enim & summo potus desiderio flagrans & mente sanissimus aquam nec bibere nec aspicere potest. Inflammationem faucium causam non esse, vidimus. Maxime hisce temporibus difficultas liquida deglutiendi, & dolor sub deglutitione accusari solet. His effici asseritur, ut aquæ potus, & potum in mentem reducens aspectus horreatur, & motus convulsivos musculorum faciei, œsophagi, thoracis &c. excitet. Atque hæc sententia non infirmis niti talis videtur. Multos hydrophoborum magno bibendi desiderio affectos, atque etiam bibere tentantes sola difficillima, & maxime dolorifica deglutitio a potu absterret, & demum vel ad liquidorum conspectum tremere, convelli, angere, suffocari facit (c). Hydrophoba, cujus historiam doct. & expert. D. Ferro mihi communicavit, aquam deglutiebat, sed summa cum difficultate, & intolerabili cum dolore, ideo omnem potum pertinacissime averfabatur, & conspecta aqua, conspectove aquam continente vase anxie fiebat, distractiones musculorum faciei patiebatur, &c.; eadem tamen præmissa asseveratione aquam non potandi causa offerri, aquam absque malis symptomatibus, non tamen absque metus signis aspiciebat. His igitur non antipathia adversus aquam sed difficultas, &
dolor

(a) De venenis p. 76

(b) Manget. sepulch. anatom. L. I. Sect. 8.

(c) Morgagni, Epist. 8.

dolor deglutitionis liquida abominabilia fecit. Id etiam huic sententiæ favet, quod non pauci, qui potum avidissime desiderantes, aquam, ne ad conspectum horrore concutiantur, ex vase clauso per fistulam fugere tentarunt, decepti fuerint.

Sed qua ratione fit, ut cum ossa solida facile deglutiatur, nihil liquidi deglutiri possit? Convulsio pharyngis, & œsophagi causa esse videtur. Hæc enim in hydrophobis evidentibus sese signis manifestat. Dum enim vel liquida deglutire tentant, vel solummodo aspiciunt, facies mire contorquetur, dolorificus constrictionis sensus per totum œsophagi tractum percipitur, ventriculus inflatur, anxietas nascitur, inspiratio laboriose peragitur, & non raro artus motibus convulsivis agitantur. Multi interrogati, cur non bibant, ob magnam faucium, gulæve angustiam et constrictionem, responderunt (a),

Cur autem pharyngis & œsophagi convulsio, quæ liquidi deglutitionem impossibilem, & dolorificam reddit, ab ossa solida aut non nascitur, aut si nascitur, longe minor boli devolutionem non impedit? An a veneno hydrophobico pharyngi, & œsophago peculiaris quædam irritabilitas ab omni liquido validissime, ab ossa autem solida vix, aut plane non afficienda inducitur ita, ut aquæ deglutiendæ, constrictione, quam admittit maxima, & hinc dolorifica orta, omnis transitus negetur, cibo autem solido devolvendo, contractione solito vix majore nata, expedita via maneat? Sane virgo hydrophoba crustulum panis siccum comedere non abnuit vino autem madefactum deglutire recusavit (b); & rusticus, qui panem absque incommodo deglutiit, diris dum digitum aqua humectatum linguæ admovit, convulsionibus comprehensus fuit (c). An vero innata irritabilitas

b 5

ita

(a) Salius Diverfus, c. 19.

(b) Morgagni, Epist. 8. n. 29.

(c) Hagenot. Mém. de la Societ. de Montpell. t. 13. p. 43.

ita exaltatur, ut liquida, quæ arctissima ad sui deductionem constrictione egent, summo, & maxime dolorifico spasmo oborto nequaquam, solida autem, quæ minimam ad sui devolutionem contractionem postulant, facile deglutiri possint? Mulier cæteroquin sanissima, quæ ut videbatur, ex æsophagi spasmo solida facile, fluida autem nulla ratione deglutire poterat, emendato malo magnos liquidorum rivos simul & semel ingestos, non autem parvam liquidorum copiam in ventriculum demittere poterat (a); & simili modo vir hydrophobus cum molestia aquam deglutire incipiebat, sed prima potionis parte hausta reliquam haud difficulter deglutiebat (b).

Non tamen omnes hydrophobos difficultas, dolorque deglutitionis a potu absterret; & hinc sententia huic superstructa universalis non est. Sunt enim hydrophobi, qui primo initio, dum venenum illud actuosum fit, potum facillime assument, mox autem ipsi mirantur, quare potum, qui antea placuerat, nunc horreant (c). Sunt, quibus ab animale rabido demorsis nil mali suspicantibus intolerabilis aquæ conspectus hydrophobiam omnium primo nunciat. Famulus optime sese habens subito aquæ conspectum, aut attactum dum scyphos eluere vellet, non tulit (d). Virgo sanissima amniculum quendam transitura subito hydrophobam sese ostendit (e). Monachus bene valens per fossam conspecta aqua nonnisi cum ingente horrore ac metu transire potuit (f). Sæpe igitur metus aquæ molestiam a potu deglutito per-

ce-

(a) Swieten in comment. §. 1142,

(b) Morgagni, Epist. 8. n. 27.

(c) Swieten in comment. §. 1138.

(d) Sauvages, Differt. sur la rage p. 12. in notis.

(e) Morgagni, Epist. 8. n. 29.

(f) Forestus L. 10. Obs. med. 27.

ceptam non sequitur, sed potius præcedit. Sed siue antipathia aduersus liquida, siue labor, dolorque deglutitionis a spasmo fibrarum muscularium pharyngis & æsophagi natus aquæ metum faciat, utroque tamen in casu symptoma nerveum est.

Ejusdem indolis sunt symptomata hydrophobiæ adsociata. Photophobia, & aerophobia ab aucta nervorum sensitivitate nascitur, & non solum hydrophobiæ, verum etiam aliorum systematis nervei morborum comes est. Dolores acerrimi, uti in passione hysterica, ita in hydrophobia nervorum affectioni adscribendi esse videntur. Hi musculos, maxime maxillam moventes mox in convulsiones mox in spasmos conjiciunt. Ingens adstantes & conspuendi & mordendi cupido, satyriasis, nymphomania quid nisi nervorum passio est? Mentis mutationem quis non sensorii communis vitio imputabit? Ipsa febris, si adest, nervosa dicenda est. Quippe cor, & arteriæ irritabilitate aucta violentius agant oportet; & fortasse stimulus veneni calcaris vicem subit. Virium dejectio, quæ subinde observatur, oppositam causam habere videtur. Summa denique nervorum mala convulsio, & paralysis morti plerumque præcedunt. Tota igitur morbi hystoria gravem nervosi systematis affectionem eloquitur.

Cadaverum conditio idem docet. Cui enim hydrophobiam adscribas, asperæ arteriæ, pharyngis, æsophagi & ventriculi inflammatio raro deprehenditur; e contra æsophagus valde angustus, & constrictus, uvula in velum introtracta spasmi post mortem etiam persistentis testimonium præbet.

Felix remediorum antispasmodicorum opii, moschi, castorei, asæ fætidiæ, camphoræ, salis alcalini volatilis, succini balneorum tepidorum, venæ sectionis &c. usus hanc rem egregie confirmat.

Licet autem hydrophobia morbus nervosus sit, non tamen multiplici solidorum. & fluidorum vitio caret. Symptomata enim nervea totum corpus

pus turbant, & immutant. Febris, abstinencia a potu, uber salivæ fluxus (a pharyngis, & æsophagi spasmo vasa transeuntia stringente, & sanguinem ad partes vicinas urgente, ab aliis excretionibus imminutis aut suppressis, & ab aucta humorum circulatione ortus) liquidiorum defectum, reliquorum inspissationem, ad secretiones & excretiones obeundas ineptitudinem, solidorum exsiccationem, rigiditatem, vasculorum minimorum contractionem, indeque angustationem, & obliterationem creat. Bilis admodum patitur. Oleum quidem in tela cellulosa collectum vi febris fuscum materiam suppeditat hinc majore copia secernitur; sed cum liquidi diluentis defectus adsit, spissior, tenacior, acrior nascitur. Varia quoque systematis nervei affectio tam ejus quantitatem, quam qualitatem vario modo mutare videtur. Sanguinis inspissatio, & motus febrilis ad inflammationem disponit; hinc accedente spasmodum vi facile in pharynge, æsophago, ventriculo, intestinis, aspera arteria, & pulmonibus inflammatio excitatur. An & veneni alluentis stimulus quidquam confert? Is sane ex glandulis muciparis oris, fauciumque copiosum, viscidum flavum, virescentemve mucum prolicere videtur. Respiratio difficilis efficit, ut sanguis in pulmonibus, & in encephalo coacerveatur, vasa continentia distendat, anevrismatica, varicosa reddat, & multiplicia inde oriunda mala producat.

Hæc constans morbi natura est. Subinde autem venenum non in solum systema nerveum, verum etiam in sanguineum agit. Quandoque enim sanguinem dissolvit, putrefacit, aut coire, coagulari facit. Tunc igitur systematis nervei passioni, & ejus effectibus gravissimum sanguinis vitium jungitur.

§. 15.

Natura veneni nos hucusque latet. Cl. quidem Default (a) cum canes putrida, verminosa carne

(a) Dissert. citat.

carne utentes sæpe rabiosi fiant, cum in rabioforum cadaveribus vermes repertæ fuerint, cum denique mercurius quem vi sua anthelmintica utilissimum habens tentavit, profuerit, venenum verminosum esse statuit. Huic autem opinioni tam multa repugnant, ut assumi nequeat. Imo. Enim rabies a multis causis vermium genesi non faventibus nascitur 2do vermes, etsi subinde in cadaveribus inventæ fuerint, sæpe desiderantur. 3tio Hydrophobia absque anthelminticis remediis tam averruncata, quam sanata fuit. Quidam (a) causas rabiei canum sanguinem ad putredinem disponere, & sanguinem in hydrophoborum cadaveribus dissolutum, putridumque esse perpendentes venenum alcalinæ indolis, & quidem sali alcalino volatili analogum esse censuere. Sed, si ita est, cur sanguis sæpe immutatus et quandoque coagulatus apparet? Cur recommendata acida utilitatem non adferunt? Alii (b), postquam hydrophobiam morbum nervosum esse intellexere, & remedia a veteribus commendata, cinerem cancrorum, ostrocodermata &c. absorbentia esse videre, venenum acidum esse pronunciarunt. Sed, si ita est, cur absorbentia non profunt? cur sanguis subinde dissolvitur, putrescit? Itaque peculiaris veneni natura est, seriore, si unquam, experientia detegenda. Interea observationum ope multas illius proprietates intelligimus.

Imo. Cum solius salivæ quocunque modo aut corpori immissæ, aut applicatæ interventu, non vero esu carnis, lactis, sanguinis animalis rabidi, contactu aquifugæ, coitu cum aquifuga &c. communicetur, soli inesse salivæ, a carne autem lacte, sanguine, semine, materie perspirabili &c. abesse concludi posse videtur. Jam veteres

(a) Sauvages, Dissert. citat. Dehne, *Hanöv, Magazin* 1778. St. 19.

(b) Hunauld, *Entreciens sur la rage, & ses remedes.* Heysam, *Dissert. de rabie, canina.*

teres salivam venenatissimam declararunt. Recentiores plerique solam salivam venenatam habent; & pauci, qui nullum fluidorum, & solidorum animalis rabidi genus veneno liberum pronunciant, salivam tamen veneno imprægnatissimam esse agnoscunt. Conceptu quidem difficile est, qui fiat, ut venenum in sola saliva hæreat. Sed dum consideramus, alia etiam venena singulari sæpe tantum humori inesse, difficultas illa disparet. Venenum variolosum in sola vaporosa perspirationis materie, & in lymphæ, quam minimæ variolarum erumpentium vesiculæ habent, & ideo etiam in pure, & ex pure facta crusta variolosa continetur; acre venereum & scrophulosum lympham inficit; & miasma plicosum humorem sebaceum glandularum cutanearum, maxime capitis amat.

2do. Cum atmosphæra rabiosorum tuta sit, & omni infectionis periculo careat, venenum volatilitate destitutum esse apparet.

3tio. Cum cutis veneno imbuta nec doleat, nec inflammetur, nec erodatur, cumque vulnus venenato dente factum insolitum dolorem non creet, majore inflammatione, non excipiatur, pus bonum concipiat, & facile consolidetur, rodens causticum dici nequit.

4to. Cum tamen venenum ætiosum redditum systema nerveum gravissime afficiat, febrim inducat, partes, quas alluere valet, pharyngem, œsophagum, asperam arteriam ventriculum & intestina sæpe inflammet, igneum quasi saporem in lingua excitet, & ex glandulis membranæ pituitariæ oris, faucium, nariumque copiosum flavum, aut virescentem mucum proliciat, peculiari quadam acrimonia præditum esse videtur.

5to. Cum sanguis quocumque morbi tempore missus immutatus appareat (a), & in cadaveribus sæpe

(a) Lister, Ephem. nat. curios. ann. 1683. art. 2. p. 47. Haguénot. Portal. p. 96.

sæpe naturalis (a), raro aut dissolutus (b) aut coagulatus (c) inveniatur, sanguini certam mutationem non inferre perspiciamus. Non igitur cum cel. Meadio, & Boerhavo sanguinem in hydrophobia dissolvi, aut cum cel. Lietaudio coagulari, aut denique cum cel. Sauvagesio, & Swietenio in morbi initio inspissari, in progressu autem liquefieri statuere licet.

6to. Cum denique morfu susceptum plerumque sero morbum creet, non illico a susceptione massam humorum subire, sed miasmatis venerei instar aliquamdiu in loco demorso sedere clarum est. Qui id fiat, difficulter quidem dicitur; si tamen ut miasma venereum in telam cellulofam subcutaneam deferri, ibi oleo immixtum eousque latere, donec a vasis lymphaticis resorptum sanguini ingeratur, assumimus, non absona credere videmur. Cum tamen subinde paulo post communicationem & subinde auxiliis externis, inustione, scarificatione, &c. illico institutis hydrophobiam inducat, quandoque statim a venis bibulis resorptum in sanguinem deferri censendum est.

Si cum aliis animalibus venenis comparamus, quandam cum veneno venereo & varioloso analogiam habere, a viperino autem similique admodum discrepare invenimus. Veneni enim variolosi more loco, cui immissum fuit, aliquamdiu infidet, in actum deductum sedem suam inflammat, suppurare facit, vicina doloribus quasi rheumaticis vexat, & febrim, febrimque comitantia symptomata nervosæ indolis excitat, subinde uberiore
per-

(a) Morgagni, n. 23. Portal, p. 53.

(b) Mead, de venenis c. 3. Sauvages, dissert. cit. n. 87. Taury Histoire de l'acad. des sciences 1699.

(c) Morgagni, n. 23. Lietaud, histor. anatom. med. libr. 2.

perspiratione difflatur, & singulari humorum speciei sese immiscet; &, uti venereum, partem cui impressum fuit, diu tenet, & sero interiora corporis ingreditur, & actuosum redditum partes quas alluit, irritat, inflammat, mucositate flavescente, flavo, subviridi copiose prolecto obducit, spasmoque exagitat, salivam præ aliis humoribus amat, & mercurio aut extinguitur, aut expellitur; nunquam autem, viperini instar, locum morfu sibi vindicatum illico inflammat, in gangrænam vertit, convulsiones citet, paralyfin inducit, sanguinem dissolvit, visceraque inflammat, & in gangrænam vertit, per os autem ingestum vi nocendi caret, aut cuiquam animalium generi parcat.

Uti veneni natura, ita etiam modus, quo in canibus, & congeneribus animalibus generatur, latet. Succos a causis §. 7mo enarratis corrumpi Aretæus quidem monuit (a); Lister (b), & Mead (c) modum etiam corruptionis utcunque explicuere dicendo, sanguinem a quibusdam causis inspissari, ad secretiones, & excretiones obeundas ineptum fieri, ita acrem, & subputridum, putridum reddi, ab aliis autem causis particularum putridarum copia inquinari, atque ita simili ratione putrefieri, maxime autem salivam vitari quoniam in canibus, qui nunquam sudant, glandulæ salivales vix non omne quod acre factum, & quocumque modo corruptum per cutim eliminandum esset, recipiunt, & excernunt: nemo tamen, cur venenum hydrophobicum, nec aliud nascatur, dixit.

§. 16.

Curatio hominis ab animale rabido demorsæ duplex est; altera prophylactica seu hydrophobiam
ar-

(a) L. I. c. 7. p. 5.

(b) Exercitat. 3. p. 133.

(c) De venenis p. 138.

arcens, altera therapeutica, seu hydrophobiam curans.

§. 17.

Curatio prophylactica requirit: imo ut venenum morfu, aliove modo susceptum, antequam massam humorum subeat, illico aut destruat, aut auferatur, 2do ut si destructio, oblatiove vel neglecta, vel sero instituta, vel male peracta fuerit, venenum fortasse resorptum, antidoto vel iners reddatur, vel deleatur, aut aptis remediis ex corpore expellatur, 3tio ut causæ, quibus venenum in actum deduci solet, evitentur, aut, si applicitæ fuerint, citissime removeantur, mala autem, quæ venenum parere consuevit, prævertantur, aut in partu suo ocyssime suffocentur. Quo singulæ indicationi modo satisfieri possit, breviter dicemus.

§. 18.

Destructio veneni suscepti igne ad locum, cui inhæret, applicato optime perficitur. Vivus enim ignis omnia destruit, sic cuncta lustrat venena (a). Cum autem ignem interventu ferri (non autem cupri, argenti, aurive) applicare ratio suadeat locum veneno infectum ferro ignito inurere consultissimum est.

Id auxilii genus jam Erasistratus commendavit (b), & a Celsi, qui primus scriptum tradidit (c) tempore nullus medicorum non efficacissimum habuit. Plerique quidem medici græci, arabes, recentioresque cum inusto etiam vulnere hydrophobiam subsequenter viderint, soli inustio-

ni

(a) Swieten in comment. §. 1143.

(b) Dioscorides, Libro de Theriaca.

(c) De Med. L. 5. c. 27.

ni diffidentes alia simul auxilia & adhibuerunt, & suaferunt; fuere tamen non pauci a) qui inustionem certissimam veneni deletricem habentes solam sufficere pronunciarunt. A multis Europæ, Asiæ, Africæ & Americæ populis infallibile remedium habetur. b)

Fiat autem inustio, si felici eventu coronetur imo citissime a morfu inflictio, ne antea quidquam veneni resorbeat (Negligenda tamen elapsis aliquibus a vulnere facto horis minime est: venenum enim hydrophobicum venerei instar sæpe diu in loco demorso hæret, antequam in reliquum corpus deferatur) 2do fiat in omni vulneris ambitu, 3tio ea profunditate, qua omne vulneris punctum perfecte exuri possit. Si sero instituitur, si non omnem vulneris locum tangit, relicta veneni indestructi portione hydrophobiam sequi mirum non est. Delapsa escharam inustione nata plagam diu apertam tenere convenit, ut si forte quid veneni remanserit, hoc modo expellatur: certus enim, omne venenum destructum fuisse vix esse possum. Ferrum peculiare, quo inustio feliciter perficiatur, v. g. clavis S. Huberti, Petri, Rochi, Bellini aut sanctæ Guiteriæ non requiritur. Ferrum quodcumque vulneris tamen conditioni adaptatum scopum explet.

Felicissime inustio adhibetur, si vulnus morfu inflictum leve est, & solam fere cutim tenet, aut si pars quædam corporis sola saliva animalis rabidi contaminata fuit. Potest tamen altum etiam vulnus ferramento apto bene adacto perfecte exuri. Ustio, sacificatione prius facta, repetita metum superstitis veneni tollit. Exscissio loci demorfi cum
mag-

a) Baccius, Swirten, libris citat. Vaughan, Cases and observations on the hydrophobia, Mezler, Unsehlbares Wehrmittel wider die Wuth etc.

b) Temple, Abhandlung von der Gesundheit, und dem langen Leben. Haller, Bibliotheca chirurgica, p. 115.

magnos & protractos dolores pariat, & dextram manum requirat; inustioni dolorificæ quidem, sed citissime peractæ, & facillime vel ab ipso demorso perficiendæ vix præferri posse videtur. Nolim tamen suadere, ut locus demorsus tendinosus, aponevroticus admodum nervosus veneno infectus inuratur: quæ enim facile supervenit nervorum distentio aut asphyxia ægrum interficere potest. Si digitus manus pedis, aliave pars ita morfu læsa fuit, ut ossibus otiam confractis corpori utilis esse amplius nequeat, tunc inustio nullum fructum, & sola amputatio medelam adfert.

Si quis ferro ignito ægri ejulatu deterritus uti non possit, tunc pulvere pyrio vulnere insperso intrito, & admota ex improvise candela accenso inustionem perficere potest. a) Quin videtur hæc inurendi ratio alteri subinde præferri posse. Subinde enim vulnus tam magnum & lacerum est, ut ferro candente omnis locus exuri vix possit. Hoc in casu pulvis pyrius & commodius adhibetur, & meliorem effectum promittit. b) Is autem, cum vulnere sanquinolento immissus accendi renuat, siccato primum vulnere admoveri debet.

Caustica quoque vulnere applicata cum parte animali una venenum destruunt; & hinc in hunc finem adhiberi possunt. Commendatur lapis causticus lapis infernalis, butyrum antimonii c) alumen ustum spiritus vitrioli, & ipsum dirissimum arsenicum. d) Sed citius, & certius ignis applicatus venenum necat.

a) Boyle, Vaughan, Mezler, libr. citat.

b) Mezler.

c) Idem.

d) Agricola.

§. 19.

Ablatio veneni variis modis fieri & potest. & solet.

imo Optime suafu cel. Sauvagesii, & Ill. Swietenii partes demorfus quantocyus a partibus fanis rescindendo perficitur. Si igitur digitus manus, pedisve demorfus est, ejus amputationem illico instituere non incongruum est. Crudele quidem hoc consilium videtur; sed calamitosissimam mortem mutilatione corporis redimere præstat. Si autem alteri cuidam parti exstirpatione non aufereudæ morfus inflictus est, bene omne, quod morfusu læsum est, a vicinis, & subjacentibus apto scalpello perfecte separatur. Id etiam in locis pinquicute, & multa carne tectis v. g. in furis, femoribus, brachiis &c. tuto perficitur, in locis autem pinqui subcutaneo & carne destitutis tendine, aponevrosi, nervo, vase majore instructis periculo non caret, & hinc ab illis exulet.

2do Si absque partis de morsæ exstirpatione, aut excissione venenum auferre velimus, tunc omni modo conandum est, ut exvulnere facto exeat. Hunc in finem & antiqui & recentiores medici unanimi consensu densas, profundasque sacrificaciones & in ipso loco affecto, & in vicino ambitu laudant: jure enim sperant, fore, ut virus vulneri & adjacentibus forte locis inhærens flumine sanquinis prolicito abreptum expellatur. Ut autem optatus eventus certius consequatur, applicatis ad loca scarificata cucurbitis remota pressione atmosphæræ sanquinis effluentis copiam augere suadent. Eundem in finem dilatatio vulneris fieri, & ita largior sanquinis fluxus cieri solet, a) Hiru-

a) Dioscorides. Theriac. c. 2. p. 424. Caranta, Decad. medico-physic. L. 2. de morfu canis rabidi Fothergill, Londoner medicinische Bemerkungen, und Untersuchungen. Layard, Libr. citat.

rudinum quoque ad vulnus inflictum admotio commendatur. a) His enim absque dolore & absque vulneris augmento una cum sanquine venenum vulneri immissum elici posse videtur. Maxime autem frequens vulneris aqua sale, vel sale & aceto imprægnata, urina, lixivio cinerum, similique liquore facta elotio adhibetur. Irritatione enim quæ hac ratione vulneri accedit magnum sanquinis profluvium concitari, & pro lubitu sustineri potest. Hi sunt modi, quibus veneno exitum ex vulnere conciliare consuevimus. A quibusdam quidem ore venenum ex vulnere exfugere suavis est; b) sed pessimum consilium dudum rejectum est. Non autem hisce modis promiscue utimur. Cum enim vulneris inflictæ conditio & partis demorsæ indoles varia sit, alter alteri sæpe præfertur; cumque omnis voto non semper satisfaciat, alter alteri sæpe adjungitur. Sacrificatio instituitur, si vulnus contusionem, echymosin adsociatam habet, si partem pinguem carnosam tenet, si superficiale est, si cutis lacerata, rasa, aut saliva infecta fuit. Si scarificatione facta sanquis non satis fluit, fluxus applicatis cucurbitis, aut admotis hirudinibus, aut denique aqua salita, urinave vulneri ope linteo- li infriacta pro arbitrio augeri potest. Loca, quæ sola fere cutis tegit, quæ tendines, nervos, arterias subjectas habent, aut non, aut caute scarificantur. In his elotio fieri solet. His etiam cucurbitas aut hirudines applicare non incongruum est. Hirudo omni vulnere sanquinolento, & præmissa scarificatione contuso, aut ecchymosi cincto admoveri potest. Dilatatio vulneri alto, angusto, contuso &c. destinatur. Horum auxiliorum efficaciam venarum partis demorsæ per ligaturas arctatio egregie promovet. Cum enim ejus ope ef-

a) Duhamel, Journal de Medicine 1772. Portal, libr. citat. p. 99.

b) Palmarius. Heisterus.

fluxus sanguinis augeatur, refluxus autem minuat-
tur, ejectionem veneni adjuvari resorptionem
vero impediri necesse est. E contra autem venæ
sectio absque insigni plethora instituta salubres
dictorum auxiliorum effectus enervat, & destruit.
Emisso enim sanguine venenum a venis bibulis fa-
cillime recipitur. Ab acriore cathartico, enema-
teve idem timendum est.

Expositis auxiliis cito, riteque adhibitis omne
plerumque venenum elicitur. Rarissime enim lar-
gum sanguinis ex vulnere profluvium hydropho-
bia subsecuta legitur. Cum tamen quandoque mul-
to licet sanguine manante hydrophobia visa fuerit,
citius subinde venenum massam humorum subire,
quam a sanguinis flumine elui videtur. Hinc vul-
nus inflictum, etsi multum sanguinis sive sponte,
sive arte adhibita fuderit, diu, & in sextam usque
septimanam apertum servare prudentia suadet. Ita
via panditur, qua venenum, si quod forte interio-
ra corporis ingressum est, exire possit.

Hunc in finem varia remedia adhibentur.
Multi duce principe cel. Schmucker a) pulvere
cantharidum utuntur. Hunc omni vulneris plagæ
inspergunt, desuper emplastrum vesicatorium po-
nunt, & aperta vesica per emplastrum elevata pul-
verem quotidie inspergendo suppurationem susti-
nent. Hæc methodus raro scopum non assecuta
est. Plures solum unquentum digestivum, basilico-
nis, fuscum aut simile applicant, vel suppuratio-
nis augendæ causa tali unquento mercurium subli-
matum corrosivum, præcipitatum rubrum, albumve
cantharides pulveratos, styracem &c. immiscent.
Quidam unquentum ægyptiacum præferunt. Alii
vulneri oleum scorpionum illinunt, aut muriam sa-
lis cum aceto frequenter apponunt. Galeno un-
quentum ex oleo rosarum, & theriaca confectum
placuit. Baccius vulnus theriaca implevit. Fuere
de-

a) Chirurgische Wahrnehmungen.

denique qui margini vulneris sinapismum, aut cataplasma ex cepis, alliis, ruta, sale &c. factum admoverunt.

Sed etsi venenum morfu susceptum destruere, aut eliminare conatus fuerim, nunquam tamen, nihil amplius veneni latere, certus esse possum. Itaque remedia, quæ latens fortasse venenum vel ejicere, vel iners reddere possint, exhibere altera, ut dixi, indicatio est.

§. 20.

Expulsio latentis fortasse veneni multiplici modo tentata fuit.

Medici græci a) motis sudoribus venenum expellendum esse censuerunt; hinc theriacam, mithridatium, & omne aromatum genus quin dropaces, & sinapismos universo corpori alternatim applicatos commendarunt. Idem plerique subsequen-
tium medicorum senserunt. Hinc etiam pleraque ad hydrophobiam commendata remedia ex sudoriferis, & maxime ex theriaca, vincetoxico, scordio, ruta, angelica &c. confecta sunt. Cel. Boerhaave, & Ill. ejus Commentator sudorem eceto simplici, aromaticove mane jejuno ventriculo prolectum miris laudibus extollit. His quoque temporibus nemo est, qui sudorem non utilissimum habeat. Lenia autem sudorifera acribus, & acetum cinnabaris, moschus, camphora, sal alcalinum volatile opium cum multo aquosorum potu omnibus aliis præplacent.

Non pauci diureticis venenum ejici posse sperarunt. b) Omnia igitur diuretica maxime autem allium, cepam, porrum, raphanum, saxifragam, agrimoniam, lapathum, alyssum, chærophyllum

c 4

lau-

a) Galenus, Dioscorides, alique.

b) Ravelly, Traite de la maladie de la rage. Caranta
libr. oitat. alique.

laudarunt. Quidam recentiorum, quibus diuretica placuere, scillæ, millepedum, baccarum juniperi, iridis nostratis, terebinthinæ usum proposuerunt. a)

Alii purgantibus venenum impugnarunt. b) Helleborus autem albus & niger, succus cataputiæ, hiera picra imprimis colocynthide acuata, cortex medianus sambuci, agaricus, rheum utilissima visa sunt.

Quidam vomitoriis, & quidem validioribus, antimonialibus, helleboro albo & nigro usi sunt. c)

Tullius Bassus sternutatoriis, & præcipue helleboro albo venenum excuti posse existimavit.

Caranta venæ sectionem, Codronchi scarificationes in pede factas, & cucurbitas desuper applicatas ad venenum educendum commendavit.

Recentiores autem, cum veneni sedes saliva sit, duce cel. Astrucio, & Defaulto si alagogis mercurialibus venenum eliminare aggrediuntur.

Omni quidem ex his modo pars quædam veneni non autem omni omne educitur.

Efficacissima est sialagoga medendi ratio. Huic præprimus debemus, quod hydrophobiam vix non incurabilem antea habitam non modo avertere, verum etiam subinde curare possimus. Sed de hac postea latius dicam.

Methodus sudorifera primum a sialagoga locum tenet. Hæc quoque hydrophobiam sæpe arceat, & natam subinde suffert. Id multi cl. viri experti sunt. Nemo tamen evidentius, quam cl. Hillary vidit. d) Is enim sudoribus cinnabari,

a) Ehrenfried, Dehne, *Handb. Magazin* 1778. St. 18. 19.

b) Galenus, Aetius, Dioscorides, Actuarius, Salius Diverfus, Codronchi, Caranta, Boerhaave aliique.

c) Dioscorides, Ravelly, Mercurialis, aliique.

d) *Traité des Maladies, qui arivent aux habitans des isles américaines.*

moscho, camphora, sale cornu cervi, theriaca, opio atque infuso ligni sassafras, & radicis valerianæ, seroque lactis vinoso desuper hausto motis vigenos a cane rabido demorsos ab hydrophobia immunes servavit, duosque juvenes, quibus hydrophobia imminabat, & matronam ipsa jam hydrophobia correptam sanitati restituit. Vim quoque antihydrophobam pulveris chinensis ex quadraginta cinnabaris, & se decim moschi granis confecti, qui, ut Transactiones philosophicæ anno 1750, Nugent a) Gmelin b) aliique perhibent, statim post morsum inflictum exhibitus per triginta dies, hisque elapsis repetitus per omne vitæ tempus ab hydrophobia tutum reddit hominem demorsum, hydrophobia autem suboriente, aut suborta assumtus, & omni trihorio resumtus ægrum omni malo liberat, jure largo, qui subsequitur, sudori potissimum adscribas. Non tamen methodo sudoriferæ omnino fidendum esse videtur. Fefellisse etiam multiplici experientia constat.

Methodus diuretica multum promittit. Hydrophobiam sæpe avertisse, & quandoque etiam curasse certum est. Hæc tamen sola demorso securitatem præstare non potest.

Emetica, & purgantia prioribus minus utilia videntur. Emeto-cathartica sæpe quidem felicissimos edidere effectus; hæc autem non tam visua succos per os, & anum evacuante, quam sudorifera profuisse videntur.

Sternutatoria, cum circulationem humorum intendendo, omnes secretiones, & excretiones augendo, & salivam uberius proficiendo proficua esse possint, non quidem rejecerim, aliis tamen, cum violentis corporis concussibus vique respiratori illata noxia esse possint, longe postponenda esse duxerim.

a) Essay sur l'hydrophobie.

b) Specificum antidotum novum adversus affectus morsu canis rabidi &c.

Emissio sanguinis quocunque modo facta incertissima medendi methodus est.

§. 21.

Truculentiam veneni triplici modo infringere & domare medici adlaborarunt.

1mo Qui naturam veneni sibi perspectam censerunt remediis naturæ illius oppositis impugnaverunt. Aciditatis assertores lapides & chelas cancrorum, ostracodermata, corallia, cretam, aliaque absorbentia dederunt; alcalinam autem indolem propugnantes succum citri, aliaque acida exhibuerunt. Sed cum remedia falsæ theoriæ innixa salubria esse nequeant, neutra utilitatem attulere.

2do Alii, naturam veneni latere, convicti virulentiam remediis involventibus imminuere, & sufferre conati sunt. Hinc lac a) oleum rosatum, oleum nucum, ipsasque nuces b) larga manu & ad catharsin usque, quæ venenum involutum ejiat, propinarunt.

3tio Plerique autem remedium specificum, seu corpus, quod vi peculiari non explicanda venenum enervare, vel integre destruere possit, quaesiverunt. Id etiam plurimi invenisse sibi visi sunt; unde factum est, ut magnam specificorum copiam habeamus.

Plantæ, animalia, partesve animales, & corpora mineralia, compositiones variæ, remedia arte chemica præparata, externa denique auxilia anti-hydrophoba dicuntur.

Antihydrophoba ex regno vegetabili sunt: Radix, & folium belladonæ; muscus caninus; c)
ana-

a) Palmarius.

b) Lister, Exercitat. 3. p. 736. & in historia Jacobi Corton.

c) Rajus hist. p. 110. Hansloane Philosoph. Transact. Nro
237.

anagallis flore purpureo a) anagallis flore flavo ,
glans quercinus , opoponax , marrubium , chamo-
milla ; b) centaurium minus , scordium ; c) majo-
rana ; d) radix rosæ caninæ ; e) cortex radicis ro-
sæ caninæ , & fungus rosæ caninæ ; f) fungus
quiscunque pulveratus ; g) pimpinella , turiones ri-
besii nigri ; h) acetosa ; i) amygdalæ amaræ ; l)
fabæ turcicæ. m)

Ex regno animali : Cantharides ; meloe maja-
lis , & proscarabæus ; lumbrici ; n) lardum ranci-
dum ; o) assatum jecur , pulmo , cor , ccrebrum ani-
malis rabie peremti ; p) hepar animalis rabidi in
cinerem combustum ; q) cinis pellis hyænæ ; r)
cinis cancrorum fluviatiliū solus ; f) vel additis
ra-

-
- a) Cardilucius , réflexions sur la rage par Mr. Chabert.
Dessentliche Rescripte des Herzogs von Zweybrücken 1757,
von Mainz; 1749, und Bamberg, Ravensstein, Braunschw.
- b) Aetius, libr. 6. c. 24.
- c) Galenus de simpl. med. 1. 9.
- d) Democritus de opisthotonicis.
- e) Plinius, hist. nat. 1. 25. c. 2.
- f) Schmidt, öffentlicher Lehrer zu Basel.
- g) Transact. philosoph. 1687. Nro. 193.
- h) Palmarius. p. 278.
- i) Aetius. Baccius.
- l) Adanson Familles des plantes.
- m) Camus, Conjecture sur la rage,
- n) Osterdykschacht, de hydrophobia.
- o) Götting. gelehrte Zeitung 1778. Zugab St. 1 p. 10.
- p) Plinius , Palmarius , Durey , aliique.
- q) Plinius.
- r) Aetius.
- f) Galenus, Oribanus, Aetius, Avicenna.

radice gentianæ, & thure; a) ostracodermata calcinata b) lapis serpentum, seu Pedro del Lebra. c)

Ex regno minerali: Mercurius; rafura cupri; d) cupreorum lebetum fuligo; e) limatura stanni cum theriaca; f) magnes; g) smaragdus, & terra lemnia. h)

Compositiones perquam multæ sunt. Pleræque ex herbis aromaticis, amaricantibus, sudoriferis, diureticis conficiuntur, ut ex specifico Palmarii i) Joyanti l) Mercurialis m) Cardinalis de Richelieu n) Duhamelis o) &c. constat; his subinde opium adjicitur, ut ex antidoto Scribonii Largi p) Grewii & Mayerni q) Gordonii r) &c. patet. Paucis alia ingredientia infunt. Harum celebriores sunt:
pul-

a) Dioscorides.

b) Mém. de l'acad. royale des scienc. 1755. Journal de Med. T. 6. 1757. p. 233.

c) Kæmpfer in amænit. exot. p. 578.

d) Loefecke, Mat. med. p. 389. Cothenius.

e) Hanöv. Magazin, 1751.

f) Act. soc. reg. lond. Nro. 191. p. 409.

g) van der Stille, Hist. de l'acad. de scienc. 1749. p. 108.

h) Galenus.

i) Libr. citat. p. 276.

l) Journal de Med. Fevr. 1757.

m) de maculis pestif. & hydrophobia.

n) Remede infallible & tres - avéré par l'experience continue de plusieurs siècles, pour préserver de la rage &c.

o) Journal de Med. 1773. Mart.

p) de compositione medicamentorum p. 120.

q) Act. soc. reg. londin. Nro. 191. p. 409.

r) Ibidem.

Pulvis chinensis; antilyffus; a) arcanum Werlhofii. b)

Chemia suppeditat : Sal volatile cadaveris canis rabidi; c) viperarum; d) spiritum cornu cervi, & salis ammoniaci; e) tincturam eau de luce. f)

Auxilia externa sunt: Balneum tepidum, frigidumque; musica; g) valeriana pectori admota; h) pellis hyænæ ægro vel substrata, vel instrata; i) frustum pellis hyænæ panno illigatum parti demorsæ impositum; l) pili canis rabiosi vulneri applicati. m)

Verum enimvero, etsi sylva quasi specificorum recensetur, nullum tamen esse cui certo confidere liceat, experientia, fidelis rerum magistra, docet. Plurima enim sæpissime inutilia fuerunt, & si quando-

a) Est muscus caninus cum æquali piperis parte, Dampierus, cum tertia piperis parte, Mead. Dosis, drachma Mead, femiuncia Hartlay. Philosoph. Transact. Nor. 237.

b) Est sequens: Ꝟ. Cantharid. gr. j. Mercur. dulc. gr. jß Turpeth. min. gr. ß Camph. gr. x. Mucilag. gumm. tragac. q. s. ut f. pill. quæ fumantur pro dosi, & repetatur per sex septimanas singulis diebus. Wichmann, differt. de insigni venenorum quorundam efficacia.

c) Faber, panchym. L. 5. sect. 1. c. 9.

d) Ravelly, libr. citat.

e) Sage, Experiences propres à faire connoître que l'alcali fluor est le remede le plus efficace dans les asphyxies. Martinet, Experiences nouvelles sur les propriétés de l'alcali vol. atil. fluor.

f) Laffone. Tissot. Götting. gelehrte Zeitung 1778 St. 1.

g) Default. Camus, libr. citat.

h) à Flachslando adducta. Etwas über den tollen Hundsbiß.

i) Aetius, l. 6. c. 24. p. 107.

l) Scribonius, Largus, libro cit.

m) Galenus. Plinius.

cloque ægro ab hydrophobia servato exhibita sunt, salva ægri sanitas aliis potius auxiliis simul in usum tractis, inustioni, scarificationi, exulcerationi loci demorfi &c. adscribenda fuit, quædam sæpe quidem, sæpius autem non profuerunt; paucissima ægros suos plerumque sanitati restituerunt; omnia denique fefellerunt. Ipsa autem ea, quæ vis antihydrophoba quam maxime commendavit, specifici stricte sic dicti titulo vix condecorari possunt. Vix enim non omnia venenum vi sialagoga, aut diaphoretica, aut diuretica potius expellere, quam vi quadam latente perdomare videntur. Idem de multis, quorum quidem famam ætas delevit, inertia tamen evinci nequit, dici potest. Ita v. g. cinis cancerorum vi sui salis alcalini ciendæ urinæ, remedium autem ex aromaticis confectum movendo sudori aptum est. Verum igitur specificum vix ullum habemus. Jam quid de singulis antihydrophobis sentiendum sit, dicendi locus esset; sed, cum labor superfluus esse videatur, celebriora accuratius exposuisse sufficiat. Celebriora autem mercurium, belladonam, cantharides, meloen majalem & proscarabæum, balneum tepidum, frigidumque esse censeo.

§. 22.

Mercurius omnium antilyfforum princeps est. Magnus cel. virorum numerus egregias mercurii & ejus præparationum non modo ad hydrophobiam avertendam, verum etiam curandam vires extollit.

Cl. Ravelly, qui primus ad mercurium confugit, mercurium dulcem larga quidem manu, non tamen ad salivationem usque, quam cathartico mercuriali sæpius interposito cavet, tam egregio cum effectu exhibuit, ut mercurio æque virus hydrophobicum, ac venereum domari asserat. a) Post illum summam mercurii dulcis utilitatem cl. Ehrmann.

a) Traite de la maladie, de la rage. 1696.

mann expertus est. b) Ejus enim ope plures ab animale rabido demorsos incolumes servavit.

Cel. James a) turpethum minerale feliciter hydrophobiæ opposuit. Hoc enim præparato ad ptyalismum, catharsin, & emesin usque dato non modo ducentis animalibus a canibus rabidis vulneratis, sanitatem conservavit verum etiam cani ipsa rabie correpto restituit, eodemque, sed ut sudorem, non vero vomitum moveret refractiore dosi ad grana quatuor cum scrupulo pulveris radicis serpentariæ virginianæ & pauculo theriacæ in bolum redacta dato tres jamjam hydrophobos juvenes salvavit. Idem turpethum minerale postea ab aliis cl. viris salubri cum eventu in usum tractus est. Cel. Tissot b) canes a rabidis demorsos, quibus grana septem cum sufficiente quantitate micæ panis in bolum redacta tribus diebus consecutivis, dein per septimanam bis dedit, vomuisse abundanter salivasse & evasisse testatur; & cel. Lietaud amico suo canes, quos quotannis rabie peremptos doluit, suasu turpethi mineralis conservasse cel. Portalis c) retulit.

Felicissime autem mercurius vivus inunctionibus in corpus immissus est. Qui primus frictionibus mercurialibus usus est, cel. Désault e) hydrophobiam sæpius avertit, bis etiam imminentem sustulit. Hunc imitatus cel. Sauvages f) eadem felicitate plures ab animale rabido demorsos sanos conservavit. Cel. Darluc g) iisdem usus non modo

b) Instruction concernant les personnes, mordues par, une bete enragée 1778.

a) Methode nouvelle de preserver & guerir la rage 1743.

c) Avis à peuple.

c) Bemerkungen über die Wuth.

e) Diff. sur la rage. 1738.

f) Diff. sur la rage. 1748.

g) Obs. sur la rage, & sur la maniere de la guerir. 1755.

do ab animale rabido demorsos salvavit, verum etiam duos jam aquifugos sanavit. Felicissimus autem Frater du Choisel Jesuita fuit. a) Is enim inunctionibus mercurialibus, quibus omni decimo die catharticum mercuriale interposuit, trecentos ab animale rabido demorsos restituit; & iisdem binos jam hydrophobos e mortis faucibus eripuit. Iisdem temporibus alii cl. viri Astruc b) Douglas c) Rose d) Arrigoni e) Lavirote f) summam hydrargyri utilitatem deprædicarunt. Hanc etiam multi subsequen-
 tium temporum medici Duhaume g) Haag h) Tissot i) Baudot l) Lassone m) Layard n) Ehrmann o) Moreau p) Portal q) aliique confirmant. Hi enim omnes unanimi ore hydrophobiam mercurio inuncto præcaveri testantur; & horum plures Duhaume, Tissot, Lassone, Ehrmann, Portal in-
 cipiente etiam in hydrophobia sacram fuisse anchoram docent.

Qui

-
- a) Method. of treating persons bit by mad. animals. 1765.
 b) Diff. sur l'hydrophobie par Mr. Pierre Fouruye. 1719.
 c) A sure method. of preventing, and the most probable way of curing the hydrophobia 1738.
 d) Observations favorables au traitement par les frictions mercurielles. Journal de medicine sept. 1756.
 e) Della mania della frenesia, e della rabbia dissert. 1757
 f) Journal de Savans. Jul. 1757.
 g) Journal oéconomique 1760.
 h) Differt. de hydrophobia, ejusque per mercurialia potissimum curatione 1761.
 i) Traitement de la rage.
 l) Essais antihydrophobiques 1770.
 m) Methode éprouvée pour le traitement de la rage 1776.
 n) Versuch über den tollen Hundsbiß 1778.
 o) Libro citato.
 p) Recherches sur la rage par Mr. Andry 1778.
 q) Libro citato.

Qui cum friccionibus salia mercurialia ingerunt, æque optatos effectus consecuti sunt. Ufu externo unquenti mercurialis & interno turpethi mineralis multos ab hydrophobia servavit Darlue a) aliquos Hoin b) & Bertrand c) & hominem cui hydrophobia jamjam instabat, sanavit Allix. d) Mercurio autem externe inuncto & aquila alba interne data hydrophobiam sæpius cl. Ehrmann, & semel cl. Mertens e) avertit.

Hæc absque præjudicio considerata anti-hydrophobam mercurii virtutem demonstrant. Ne tamen infallibilis habeatur, contraria referre oportet. In hydrophobia confirmata mercurius incassum datur, imo uberiore copia exhibitus nocet. Id summi mercurii patroni fatentur. Sæpe etiam in incipiente hydrophobia sefellit f) & subinde ne hydrophobiam quidem avertit. g) His, etsi æstimatione mercurii infringatur, non tamen convellitur. Ut hydrophobia a morfu inflictio metuenda averruncetur, maturo, largo, constanti in mensem & ultra continuato mercurii usu opus est. h) Hinc si quandoque expectationi non satisfecit, serius, aut parcius, aut justo breviori tempore ingestum fuisse judicandum est. Sunt, qui, cum mercurius persæpe plaga vulnerata prius inusta scarificata, dilatata, elota, exulcerata exhibitus fuerit, curationem externis potius auxiliis quam mercurio adscribendam esse confidenter asseruerunt. Hi autem

a) Recueil periodique T. 3. 4. 15.

b) Journal de Medicine T. 14 Avril 1761.

c) Sauvages, Nosologia method.

d) Layard, libr. cit. p. 126.

e) Observationibus de febribus putridis, & de peste &c. P. 3. p. 195.

f) Vaughan, Moreau libr. citat.

g) Medical Essais T. 5. Part. 2. p. 590.

h) Sauvages, Nosologia method.

tem æstimationem mercurii nequaquam evertunt. Plures enim demorsis solius mercurii ope sanitatem perstitisse observationes exstant. a) Et si mercurius hydrophobiam non arcet, cur non raro imminuentem, cur vel incipientem sanat? In confirmata nihil efficere mirum non est. Nulla enim functione non læsa, systemmate nerveo gravissime affecto, veneno summam virulentiam nacto, sanguine in putrilaginem resoluta aut coagulata, visceribus inflammatis aut gangrænosus quis non mortem inevitabilem expectabit?

Modum, quo mercurius venenum perdomat, dicere difficile est. Cum veneni sedes saliva sit, mercurius autem salivæ secretionem & excretionem augeat, plurimisque, quibus ab animale rabido demorsis hydrophobiam vel arcuit, vel sustulit, ptyalismum concitaverit, cl. Astrucio, Sauvagesio Defaulto venenum vi sialagoga expellere visus est, multisque recentiorum videtur. Cum autem mercurius hydrophobiam & avertere, & sanare etiam absque salivatione possit, multi alii cl. viri Ravelly, James, Bertrand, Rose, Hoin, Kühn, Morando, Tissot, Werlhof, Layard, Kaltschmied, Lenacier, aliique venenum vi specifica enervari, destruique censent. Duplex igitur sententia viget, & quam amplectaris, nescis. Utraque enim argumentis non infirmis nititur; & licet prior plus verifimilitudinis habeat, non tamen omni posterior destituitur. An igitur utraque locum habet?

Quamquam autem modus, quo mercurius in hydrophobia prodest, determinatus non sit, ratio tamen medendi a cl. viris proposita parum, aut vix differt. Qui enim pro vi specifica mercurii stant, uberiores solito salivæ excretionem salubrem esse profitentur; & qui vim sialagogam propugnant, plura quidem quam pro solito more imputa commendant, sensibilem tamen ptyalismum, ne hydrargyrus citius, quam par est extra corpus de-

a) Ehrmann, libr. citat. Obs. I. Layard, libr. citat. Obs. 7. Mertens, libr. citat. p. 195,

labatur, prohibent. Intelligimus igitur, convenientissimum esse, ut mercurio exhibito salivæ quidem secretionem augeamus, non tamen ad salivationem usque intendamus. Ita etiam ægro salivationis molestias cavemus, & excretionem cutaneam, renalem, alvinam imperturbatam relinquimus.

Mercurius vivus hunc in finem aptissimus esse videtur. Is enim sine tumultu, sine inflammationis metu, agit, præparatis potentius vias salivales sollicitat, vim specificam, si quam habet, præparatis certius habet. Præterea, cum nervorum passionibus, tetano, epilepsiæ, maniaë egregie medeatur, nervosa morbi jamjam erupturi symptomata in herba suffocabit. Hic quoque, quod eo celeberrimi authores sæpissime uli fuerint præparatis præferendus esse videtur. Hunc autem frictionibus in corpus ingerere placet, & quia ita insalutatis primis viis immediate cum sanguine miscetur, & quia loco affecto aut saltem vicinis applicatus fortasse venenum vi specifica delet.

Frictiones autem sequente modo instituimus: imo ægrum ad has subeundas præparamus. Plethoram incisa vena tollimus, ventriculum sordibus obrutum emetico, intestina cathartico mercuriali abstergimus, vasa omnia imprimis cutanea evpora reddimus, aerem frigidum vetamus, victum refrigerantem, humectantem præcipimus, ab acidis, & aciescentibus abhortamur. His administratis tam cito a morfu quam fieri potest justam unquenti mercurialis quantitatem universo vulneris margini illinimus. Quidam ipsi etiam vulnere illinunt; sed huic, cum frustra vehementer irritetur, potius parcimus. Si vulneris ambitus justam unquenti copiam non recipit, pes etiam, crus, femur &c. inunctioni inservire potest. Drachma una unquenti officinalis quotidie, aut alterno die infricata plerumque sufficit. Si cita hydrophobia eruptio, sive quia morsus faciem, collumve læsit, sive quia æger ferro auxilium quæsit, metuenda est, majorem prima vice quantitatem unquenti v. g. drachmas duas tresve infricare solemus, & debemus. Largiore enim mercurii usu hydrophobia certius præ-

vertitur. His inunctionibus, ut omne latens virus aut expellatur, aut extinguatur, per mentem pergitur; & ne hydrargyrus vias salivales nimium petat, frequens si commodum sit, balneum interponitur, & omni octiduo purgans mercuriale exhibetur, aut injectis clysmatibus alvus aperta servatur. Si hydrophobia aut instat aut incipit, magnam unquenti mercurialis dosim v. g. drachmas tres, quatuorve quotidie infricare oportet, eo usque, donec salivatio immineat. Angustia enim temporis largiore mercurii usu vindicanda est. Atque in hoc ægri statu bene locis sedi veneni proximis colio, cervici, pectori, dorso inungitur, & inungi solet.

Inunctionum vires mercurio vivo, dulcive per os ingesto accelerare, intendere non inconsultum est.

Si frictiones mercuriales instituere tædet, internus mercurii usus non spernendus esse videtur. Hoc etiam in casu mercurius dulcis qui sua indole proxime ad mercurium vivum accedit, exhiberi potest. Usus turpethi mineralis utilis quidem, sed multo minus tutus est. Solis fere pituitosis, torpidisque ad granum unum alterumve dare licet.

Atque hæc mercurio peracta medendi ratio, uti certissima, ita etiam consuetissima est. Cum autem ægri salus satis curari nequeat, mercurius plerumque cum antispasmodicis, diaphoreticis, diureticisque jungitur. Hinc cum mercurio cinnabaris, æthyops antimonialis correctus a) moschus, camphora, castoreum, asa foetida, sal alcalinum volatile, tinctura eau de luce, serpentaria virginiana, terra foliata tartari, nitrum &c. exhiberi solet.

§. 23.

a) Est mercurius cum æquali sulphuris aurati antimonii parte in pulverem nigricantem tritus. *Flachsland, etwas über den tollen Hundsbiss.*

Belladonna insigne in hydrophobia remedium est. Indubiis egregii Richteri a Superintendente Münch edocti a) experimentis, sanitatem absque externorum auxiliorum adjumento plurimis ab animale rabido demorsis conservasse, & non paucis ipsa incipiente hydrophobia correptis restituisse constat. Pulvis tam folii quam radicis experimentis inservit; plerumque autem, cum vis radicis fere duplo major sit, & grana duo radicis granis tribus cum dimidio, aut quatuor æquivaleant, radix in usum tracta fuit. Tres doses, interjecto quadraginta octo horarum intervallo, exhibitæ plerumque curam absolvunt. Dantur autem homini, 17—50 annos nato prima vice grana x, altera xij, tertia xijj, xjv, xv. Homini ætate vel majori, vel minori refractor, & ætati appropportionata dosis datur; hinc lactanti ius anni ima vice granum j, 2da & 3tia jβ, puero 10—11 annorum ima vice grana v, 2da vβ, 3tia vjβ, seni 50—60 annorum ima vice grana vj, 2da vjjj, 3tia jx, decrepito 70—80 annorum ima vice grana jjj, 2da jv, 3tia v dantur. Debiliori, irritabiliori, fœminæ minor, quam quæ ætatis ratione habita danda esset, & fœminæ infantem lactanti decrepiti dosis datur. Non vi specifica venenum morfu immissum enervare, & destruere, sed vi sudorifera ejicere videtur. Largum enim sudorem movet, sudore autem difficilius movendo ambitum vulneris tumefacit; in parte demorsa tractiones parit; vulnus exsiccat, & crustam vulneri forte supernatam depellit.

Sequentia, dum belladonna in usum trahitur, observanda sunt: Sumitur pulvis belladonæ ex jusculo avenaceo, & vulnus, si magnum, & profundum est, linteo obtegitur; inde lectus petitur, & vis belladonæ expectatur. Si oris, fauciumque siccitas accedit, aqua frigida aut lac bibatur;

d 3

si

a) Chirurgische Bibliothek 5. B. 2. St. 377. S.

si somnolentia ingruit, somno indulgeatur; si visus debilitatur, objecta duplicantur, lectio, & omnis oculorum labor vitetur. Si æger a belladonna valde affectus altero adhuc die lanquet, sequens dosis non augeatur; & si post duos etiam dies, vires non recuperavit, omni tertio die sequens dosis datur. Si primam dosin copiosus sudor vel magnus partis affectæ tumor excipit, parcior altera vice dosis sufficit. Si a tertia dosi tumor, qui plerumque a prima & secunda, sed a secunda minor, non autem a tertia amplius comparere solet, revertitur, sensus tractionis percipitur, & vulnus nondum siccatum est, post septuaginta & duas horas belladonna resumatur, & relicto quadraginta octo horarum interstitio quinquies repetatur. Si sub belladonæ usu hydrophobia accedit, æger lac bibat, & in lecto decumbat; subsequente sudore malum brevi cedit. Si hydrophobia ante belladonæ usum erumpit, neque a prima, secundave dosi mitigatur, in pede venæ sectio fiat, & belladonna continuetur, sed majori dosi.

§. 24.

Cantharides longæva fama celebrat. Jam a Galeno, & Galeni affectis arabibus, imprimis ab Avicenna a) & Rhaze, b) tanquam efficacissima in hydrophobia medicina commendantur. Præcepere, ut abscissis alis, capite, ac pedibus peculiari arte in trochiscos redactæ ad pondus scrupuli unius per multos dies exhibeantur; & addidere, mictum urinæ sanquinolentæ certum salutis signum esse. Postea ab aliis cl. viris maxime a Braunschweigio c) Cap-

a) Libr. 4. Sin. 6. tr. 4.

b) Baccius de venenis p. 80.

c) Chirurgia T. 2. c. 14. p. 29. 1539.

Cappivaccio a) Kramero b) Catanio c) non solum commendatæ, verum etiam specifici titulo condecoratæ sunt. Larga, sanquinolentaque urina venenum expelli ut veteres monuerunt; minores tamen, quam veteres doses grana $\text{iv}—\text{x}$ dederunt. Novissime ab Ill. etiam Werlhofio d) & cl. Stockario e) laudatæ sunt. Hi autem minimas doses granum unum alterumve præscripserunt. Ipsi vulgo familiare in morfu canis rabidi remedium sunt. Id jam Sennertus f) suo tempore monuit. Maxime autem teste Reimanno g) Platnero h) Cartheusero i) &c. in Hungaria imprimis superiore inclaruerunt. His absque præjudicio consideratis non possumus non cantharidum utilitatem agnoscere. Non quidem observationes longum etiam cantharidum usum teselisse desunt; sed hæ solummodo fallibiles, non autem inutiles esse docent. Insignes quibus pollent, diureticæ, sudoriferæque vires efficacissimum in hydrophobia remedium declarant. Interea cum cantharides, ut cl. viri Codronchi, Swieten, Portal, aliique monuere, in vias urinarias validissime agendo pessima a Dioscoride l) tragice descripta mala producere possint, cautos in usu cantharidum nos esse oportet. Hinc recentiorum exemplo granum unum alterumve cum multo emul-

d 4

so-

-
- a) Libr. 7. c. 3, p. 930.
 b) Commerc. norimberg. 1735.
 c) Rifflessioni fisico-mediche sopra di un nuovo antilyso 1756.
 d) Wichmann, dissert. de venenorum quorundam virtute medica &c. 1716.
 e) Diff. de usu cantharidum interno 1781.
 f) Praxis med. L. I. part. 2. c. 16.
 g) 23ter Versuch der Natur- und Medicingeshichte. Mens. Januar. class. 4. art. 15.
 h) Gründliche Einleitung in die Chirurgie 1748.
 i) Fundament. mater. med. pars prior. p. 436. 1749.
 l) Alexipharm. c. I. p. 402.

forum, aut decoctorum mucilaginosorum potu per septimanas exhibere, quam veterum more grana x—xx ad hæmaturiam usque ingerere consultius est. Aut cum cantharides ad cutim applicatæ in universum corpus agere soleant, neglecto interno cantharidum usu cl. Schmuckerum imitantes externo uti possumus. Sane Schmuckeriana methodo §. 190 dicta non modo a cane rabido demorsos servatos, verum etiam virum ipso incipiente morbo laborantem curatum fuisse certum est. Quin externus cantharidum usus interno præferendus esse videtur. His enim ad locum demorsum admotis non modo venenum in corpus receptum expellitur, verum etiam fons, ex quo humores venenum hauriunt, dissipatur, exsiccaturque. Si autem a cantharidibus vulnere immixtis optatum effectum non speramus, more Cappivaccii cantharides sed refractiore dosi ad granum unum, dimidiumve simul per os ingerere, non absolum est. Interea, ut omnis mali occasio caveatur, methodo Schmuckerianæ Defaultianam aut Hillaryensem adungere præstat.

§. 25.

Cum cantharidibus meloe majalis, & proscarabæus (Maywurm, oder Maywurmfäfer, nicht aber Mayfäfer) certat. Uti enim easdem vires, ita etiam eandem in morfu canis rabidi famam habent. Abundant hæc insecta sale volatili caustico, & liquore unctuofo, acri, fragranteque, qui ex contractatorum corporibus emanat; & ab his vires suas medicatas trahunt. Motum humorum intendere, omnes secretiones & excretiones augere, urinam autem validissime, & ad hæmaturiam usque movere constans observatio est. Consuetissima symptomata ab assumtis nasci solita sunt: Cephalalgia; paraphrosyne; inappetentia; dolor ureterum, urethræ; mictus frequens difficilis, dolorificus, stranguosus; urina aquosa, sanquinolenta, carunculis mixta; sudor; diarrhæa; vomitus; oris erosio; mira pulsuum acceleratio. A ducentis quidem an-

nis in variis morbis in hydrope, arthritide vaga, epilepsia, ictibus vesparum &c. maxime autem in morfu canis rabidi commendantur. Coler a) Martini b) Weickardus c) & Schræder d) primi fuere commendatores. Inde aliorum etiam virorum Schwenckfeldii e) Nenteri f) Degneri g) Roesleri h) &c. laudes meruere. Roesler narrat, pueros binos ex morfu canis rabidi laborantes duobus proscarabæis abscisso prius capite acceptis multum quidem affectos fuisse, imo sanquinem minxisse, ast tandem integram sanitatem consecutos fuisse, & ab hydrophobia liberos mansisse. Alia exempla alii habent. Ipsi etiam plebi jam dudum probata medicina fuere. Ab his batavi i) hungari l) silesii m) ab animale rabido demorsu auxilium quærere solent. Maximum tamen nomen nostris temporibus adepta sunt. Ill. enim Beireis, qui teste cel. Dehne n) quamplurimis ab animale rabido demorsis proscarabæi ope sanitatem restituit tanquam certissimam & forsan unicam medicinam ce-

d 5

le-

-
- a) Calendarium œconomicum p. 42. Oeconomia ruralis, & domestica p. 482. 1614.
- b) Armer Kranckentath ic. 1620.
- c) Thesaurus pharmaceuticus, Galeno-chymicus 1626.
- d) Pharmacopœia medico-chymica 1641.
- e) Theriotrophium Silesiæ 1703.
- f) Fundament. medic. theoret. pract. 1718.
- g) Act. nat. curios. Vol. 6. p. 326. Obs. 42.
- h) Ephem. germ. dec. Ima anni 3tii p. 362.
- i) Sennert. L. 1. part. 2. c. 16.
- l) Sauvages, Nosologia method. c. de hydrophobia,
- m) Vogel a Dehne citatus.
- n) Hanöv. Magazin 1778 St. 19.

lebrat; a) & cel. Dehne, qui ab Ill. Beireisio edoctus eodem puellam virumque ab hydrophobia immunem servavit, verum in hydrophobia specificum esse asserit. Cel. autem Porufforum rex em-tum ab agricola silesiaco electuarium, cujus præcipuum ingrediens dictum insectum est, universo hominum generi promulgatione anno 1777. per supremum collegium medicum facta tanquam infallibile in morfu canis rabidi remedium dono dedit. b) De insectorum igitur virtute antihydrophoba dubitare nefas est. Nec qua ratione profint, latet. Urinam enim, sudoremque movendo venenum expellunt. Incertum tamen est, an in ipsa hydrophobia utilitatem afferant. Plerique solummodo hydrophobiam a demorsis arcere dicunt. Solus Weickardus hydrophobiam tollere affirmat; & Sauvages hungaros in hydrophobiæ accessu scrupulum unum scarabæi majalis devorare, & hæmaturieam subsequenter salubrem habere narrat. c) Magnus & Immortalis praxeos medicæ professor cel. de Stoll electuarium porussicum (omisso plumbo) juveni hydrophobo binis vicibus dedit; æger tamen brevi perit.

Dosis, & forma, qua exhibitæ sunt, varia est. Plerique ut insecta in melle, oleove suffocentur, aut capite prius abscisso sepeliantur, & vel loco temperato asserventur, vel soli pro digestionem opponantur, præscribere, & dum usui sint, unum, duo, tria, aut etiam quatuor una cum pauco melle oleove contrita ex cerevisia calefacta hauriri, aut accedente per linteum pressione puriorem in succum redacta assumi præcepere. Quidam insectum capite, pedibusque privatum dimidium, integrumve solum, aut frustulo panis intrusum devorari maluerunt. Ill. Beireis, & cel. Dehne insecti integri

com-

a) Dispensatorium brunsvicense. P. I. p. 161.

b) Bekanntmachung des specifiquen Mittels wider den tollen Hundsbiß etc.

c) Nosologia method.

communi methodo siccati & in pulverem redacti $\frac{1}{2}$, $\frac{1}{4}$, etiam $\frac{1}{2}$ partem adjecto nitro, & si periculum in mora fuit, $\frac{1}{4}$ partem omni hora ad sanguinis mictum, aut gravem stranguriam usque dedere, & multum mucilaginosum potum desuper bibi imperavere. Externe vulnere scarificato, dilatato, mel, oleumve vi insectorum imprægnatum illini solet, ut venenum aucta suppuratione certius eliciatur. Electuarii poruffici dosis omni ætati, sexui, temperiei &c. accurate determinata fuit. Id tamen cum corpora & inutilia, & noxia contineat, solo insecto præferendum non esse videtur. Theriaca quidem Andromachi caustici insectorum salis ad vias urinarias impetum moderando & ad cutim pro parte deferendo, nimiosque spasmos refrænando, & paucum mel eundem salem mitigando utilitatem adferre potest; sed decocta emollientia insecti usui juncta copiose potata utiliora esse videntur.

§. 26.

Ufus balneorum & antiquissimus, & usitatissimus est. Maris accolæ ab animale rabido demorsis sese ocyssime mari immergunt, & huic remedio adeo confidunt, ut illo solo contenti vix expectant aliud. A mari autem remoti certa curationis spe ad mare deferri, & nisi natandi scientiam habent, vi in mare demergi solent. Hoc etiam maris balneum a multis cl. viris Mead a) Spéed b) Catani c) Boerhaave d) Swieten e) Vaughan f) &c. laudatur, & a Tulpio g) si tempestive adhibetur, in-

a) Tentamen de venenis p. 140.

b) Commentarius de aqua marina p. 24.

c) Libro citato.

d) Aphorismo II43.

e) In commentar. ad §, II43.

f) Libro citato.

g) Obs. med. L. I. a. 20. p. 41.

infallibile censetur. Si maris balneo facile uti non liceat omnem fluvium maris vicem subire posse cl. Mead, Hillary a) Boerhaave, & Swieten monent, & jam ante hos Aurelianus monuit. Videtur ejusmodi balneo vulnus abstergi, circuitus humorum intendi, atque excretio cutanea & renalis augeri, itaque venenum receptum eliminari. Terror autem violenta immersione incussus, cum nulla violentia requiratur, vix salutis causa haberi potest. Uti autem aqua marina fluviali passim præfertur, ita etiam præstantior esse videtur. Aqua enim marina fluviali minus frigida est, vi sui salis emesin, & catharsin movet, omnesque secretiones, & excretiones maxime cutaneam, & renalem longe uberiores facit. Huic tamen remedio prorsus fidentum non est. Default b) Frater du Choisel c) Paræus d) Palmarius e) Ridley f) alique sæpe fessisse observarunt; ipsi marini balnei patroni Stalpart van der Wielen g) & Dekkers h) citissime a morfu adhiberi volunt, cum serius levamen quidem adferat, sed non sanet. Sunt etiam, qui nocuisse & gravissima mala, ipsamque mortem induxisse norunt. i) Immersionem igitur, sive in mare, sive in fluvium caute fieri oportet. Absit omnis corporis æstus; absit, cum solus etiam æquoris conspectus, undarumque frementium accessus non adfuetis horrorem incutiat, omnis, quæ terrore incusso convulsiones ciere, ipsamque hydro-

a) Libro citato.

b) Diff. citat. p. 287.

c) Libro citat. p. 18.

d) De venenis &c.

e) Libro citat. p. 279.

f) Obs. de asthma, & hydrophobia g. 119.

g) Controv. I. Obs. n. 100. p. 400.

h) Exercit. pract. p. 564.

i) Lister, Exercit. tert. p. 136.

phobiam accersere possit, violentia; abundantior sanguinis copia plethorico incisa vena subtrahatur; ventriculus, & intestina materie saburrali gravata emetico, catharticove abstergantur.

Demersio in mare fluviumve in ipsa etiam hydrophobia commendatur. Magni medici Celsus a) Bœrhaave, Swieten, aliique credentes pavorem aquæ vi quasi illata superari posse, ægros invites obnubilatis oculis in aquam frigidam demergere vel si demorsio fieri non possit aqua frigida perfundere suaserunt. Hæc curandi ratio etiam successit. Helmontius b) senem hydrophobum, qui vinculis repetitis vicibus in mare demissus est, & Morin c) puellam hydrophobam, quæ aquæ satis frigidæ, in qua copiosus sal marinus dissolutus erat, frequenter immersa fuit, evasisse vidit. An autem hi ægri ideo, quod invita aqua satiati, aut summo terrore percussi fuerint, convaluerint, dubitare licet. Semimortui ex aqua educti vomituriverunt, vomuerunt, vomituque sæpius redeunte levati, & restituti sunt. Itaque vomitu potius, vomitumque semper subsequente sudore, quibus sæpe venenum expulsum est, sanati fuisse videntur. Eadem autem curatio sæpius aut fefellit, aut nocuit. Larga aquæ in nudum corpus projectio subinde quidem aquæ metum pepulit, mortem autem non avertit. d) Aschenhurst virum a morsu canis rabidi omni mense hydrophobum vi in mare projectum binis vicibus morbo liberatum, tertia autem vice convulsionibus peremptum novit. e) Sauvages f) & Morgagni g) a violenta aquifugorum

a) L. 5. c. 27.

b) Ortus Medicinæ p. 277.

c) Histoire de l'academie des sciences année 1699. p. 85.

d) Ibidem.

e) Layard, p. 72.

f) Diff. sur la rage n. 87.

g) L. 1. Epist. 8. n. 24.

rum in mare demersione brevi mortem subsecutam fuisse referunt. Si hæc hydrophobiæ medendi ratio cum hydrophobi statu comparatur, sæpius noxiam, quam utilem esse posse illucescit. Dum enim hydrophobus summe irritabilis, omnia timens, febreque calens vi & summo terrore incusso in aquam frigidam demittitur, convulsus asphyctus, suffocatus, apoplecticus illico perire aut pessime saltem adfici, mirum non est. Hinc balnei frigidi in hydrophobia usus a multis cl. viris rejicitur.

Salubriore consilio cel. Hoffmannus a) balnei tepidi in hydrophobia usum commendat. Solida enim tensa, spasmusque affecta relaxando, perspirationem suppressam revocando, majorem circulantium humorum motum reprimendo & æquabilem efficiendo utilissimum esse censet. Hanc Hoffmanni sententiam nemo recentiorum non amplexus est Tissot, Laffone, & Ehrmann balneum tepidum tam efficax habent, ut principibus in hydrophobia remediis adnumerent; & hinc quotidie semel aut bis etiam usurpari volunt. Non tamen hydrophobum vi in balneum demittendum esse monent: probe enim gnari, solum aquæ conspectum horrore, convulsione, furore &c. excipi, a violenta in balneum detrusione plus damni quam emolumenti expectant. Experientia ejus utilitatem comprobat. Cel. Vaughan b) binos hydrophobos, quos nec mercurius inunctus, nec opium largâ dosi exhibitum juvit, a balneo tepido mirum in modum levatos fuisse refert. Idem balneum tepidum ad arcendam etiam hydrophobiam his temporibus enixe laudatur. Cum enim venenum vulnere immissum abluere, in circulum humorum fortasse receptum sudore subsequente expellere, aut saltem hausta aqua mitigare, enervareque sanguinem autem diluere ad secretiones, & excretiones obeundas aptiorem reddere & contra inspissationem, inflamma-

tio-

a) T. I. p. 211.

b) Libro citato.

tionemque sub hydrophobia metuendam mūnire valeat, non potest demorsis non salutare esse. Jam Celsi quidem tempore utilissimum habitum est. Is enim ab animale rabido vulneratos protinus in balneum descendere, ibi dum vires ferunt, desudare, inde vinum liberalius haurire balneoque pertriduum repetito a periculo tutos se habere narrat. a) Verum ille balneandi mos exolevisse videtur.

§. 27.

Jam qua ratione tertiæ in cura prophylactica indicationi satisfieri possit, dicendum est.

Ut causæ, quibus applicatis venenum actuosum reddi solet, caveantur, omne, quod corpus calefacere, excretiones inhibere, animum validius afficere possit, sedulo ab ægro avertere oportet: hinc dispositio ad febrim quamcunque forte subnata abigenda, plethora v. g. venæ sectione tollenda, saburra in primis viis stabulans eccoprotico, cathartico, emeticove ejicienda &c.; cibus carneus, aromaticus, potus vinosus, spirituosus prohibendus, & e contra diæta antiphlogistica præscribenda; validius corporis exercitium interdicendum; vigiliæ protractiores dissuadendæ; hilaritas animi inculcanda, intensio vetanda, & occasio passionis iræ, terroris, metus, tristitiæ præcidenda; omnis denique excretio alvina, cutanea, renalis &c. libera servanda. Ut autem causæ casu applicatæ removeantur, convenientibus hunc in finem remediis uti necesse est.

§. 28.

Effectus a veneno in actum deducto produci solitos, cum varii sint, symptomata nervosa, spasmodica. febris, liquidiorum dissipatio, reliquorum inspissatio, inflammatio &c. variis etiam auxiliis arcemus, aut in ortu suo sufferimus.

Sym-

a) L. 5. c. 27. p. 308.

Symptomata nervosa, spasmodica cl. viros, Arrigoni, Tissot, Layard, Laffone, Ehrmann, Portal, &c. secuti remediis nervinis, antispasmodicis, camphora, moscho castoreo, asa fætida, succino, sale, aut spiritu cornu cervi, vel salis ammoniaci, tinctura eau de luce &c. infuso florum tiliaë, radicis valerianæ sylvestris &c. semel, ant bis de die exhibitis aditu prohibemus. Atque his, cum simul sudorem, vel urinam etiam movendo venenum expellere possint, confidentius insistimus. Imo vires sudoriferas, diureticasve additis diaphoreticis cinnabari, antimonio, serpentaria virginiana &c. aut diureticis terra foliata tartari, nitro &c. consulto augemus.

Febri, liquidiorum dissipationi, reliquorum inspissationi, inflammationi balneo tepido sæpe repetito, cibo mere, aut maximam partem vegetabili, potu multo refrigerante v. g. decocti hordei, avenæ, graminis cum oxymelle, oxysaccharo, limonadæ &c. corporis, animique quiete &c. obviam imus.

§. 29.

Si æger cura prophylactica diu vexatus exhaustur, debilitaturque vires nutrientibus. roborantibus, cortice potissimum peruviano restauramus.

§. 30.

Si curatione prophylactica aut non, aut frustra adhibita morbus hydrophobicus accedit, curatio therapeutica petit. imo Ut ea veneni recepti pars, quæ loco demorso adhuc inhæret, eliciatur, & sanguini subtrahatur; 2do ea autem, quæ sanguinem ingressa fuit, aut enervetur, destruatursque, aut ex corpore expellatur; 3tio ut mala a veneno agente producta auferantur.

§. 31.

Venenum parti infectæ insidens sequente modo educitur: Si vulnus jam clausum est, cultro, causticove aperitur; & apertum insperso cantharidum pulvere, aut illito unquento magna pulveris cantharidum copia imprægnato in magnam suppurationem deducitur. Hac sola ratione morbum incipientem pulsus fuisse cel. Sckmucker testatur. Unquento ægyptiaco, aut digestivo præcipitato rubro imbuto, similive minor, tardiorque suppuratio excitatur; hinc hisce malo urgente non bene utimur. Si vulnus adhuc apertum est, suppuratio dicto modo augetur. Cel. Portal sanquisugas vulneri applicare suadet.

§. 32.

Veneni in sanquinem recepti enervatio, destructione triplici quidem modo tentata, nullo tamen, ut vidimus, perfecta est. Acida, absorbentia non juvant. Aquosa, mucilaginoso oleosa veneni truculentiam enervare non valent. Specificum certum nullum habemus. Solus fortasse mercurius est, qui vi antihydrophoba instruitur; verum is certius vi sialagoga prodesse videtur.

§. 33.

Expulsio veneni variis remediis sialagogis, sudoriferis, diureticis, emeticis, catharticis perficienda suadet. Hæc autem quibuscunque remediis tentata, etsi sola ægrum salvare possit, sæpe non succedit.

Plurimum sialagoga promittunt. Inunctionibus enim ut supra dixi, cel. Default, Darluc, Frater dn Choisel, Duhaume, Tissot, Lassone, Ehrmann, Portal, alique hydrophobiam non modo accedentem, verum etiam ingressam feliciter fugarunt. Subinde earum utilitas evidenter sese monstravit. Morbum enim frictionibus imminutum frictionibus diutius neglectis increvisse, repetitis autem rursus decrevisse & demum disparuisse non una vice ob-

servatum est. Mercurius igitur, ut §. 22da dixi, larga manu, & ad levem salivationem usque locis sedi veneni proximis inungendus est.

Proximum a sialagogis locum sudorifera tenere videntur. Largus enim sudoriferis concitatus sudor multiplici vice hydrophobiam sustulit. Virginem hydrophobam cinnabari moscho, & opio Nugent, a) matronam hydrophobia correptam, & duos juvenes brevi corripandos camphora, sale cornu cervi, theriaca, & multo sudorifero potu Hillary, b) fæminam aquæ metu laborantem cinnabari, antimonio crudo, sale salis ammoniaci, & vesicantibus Hele, c) puellam præcursoribus aquæ metus vexatam alexipharmacis, & imprimis theriaca Schmied d) sanavit. Nuper acetum casu haustum hydrophobum Udinæ, & experimenti causa ingestum alterum Paduæ servavit. e) Plura similia exempla leguntur. Quamquam autem sola sudorifera medendi ratio morbum debellare possit, prudentia tamen sudoriferæ sialagogam jungere suadet. Hinc cum frictionibus mercurialibus moschus, camphora, sal alcalinum volatile, tinctura eau de luce, opium, acetum, cinnabaris, æthiops antimonialis correctus &c. in usum trahi solet.

Atque hæc composita medendi ratio non raro in desperatis casibus quasi miracula præstitit.

Diuretica quoque commentationem mereri videntur. Cum enim cantharides f) & meloes majales g) ob insignem vim diureticam pro infallibili remedio in hydrophobia curanda apud Hungaros habeantur, & solus etiam crudarum ceparum abusus hydrophobias fugaverit h) ab efficacibus diu-

re-

a) Libro citata.

b) Libro citato.

c) Layard libr cit. p. 104.

d) Collect. acad. T. 3. p. 378.

e) The London Chronicle Nro. 1170. June 19.

f) Commerc. litt. A. 1754. Hebd. 11. n.8.

g) Sauvages, Nosologia method.

h) Gazette salutair 1773. n. 8.

reticis multum sperare possumus. Interea, cum diuretica sialagogis, & diaphoreticis minus certa sint, aliis in hydrophobia indicatis remediis diuretica mitia v. g. nitrum, terram foliatam tartari, succum citri, spiritum nitri dulcem, oxymel squillicum addere præstat. A nitro diaphoreticis adjecto pulcherrimos effectus cel. Nugent expertus est. Dum enim in hydrophoba cinnabari, moscho, & opio feliciter tractata tenue paucumque lotium fecernebatur, ab exhibito nitro copiosum, & brevi sedimentosum lotium fluxit, & aquæ metus ante mitigatus disparuit.

Emetica, & purgantia ad expellendum in hydrophobia venenum inepta esse videntur, Minime enim certa, minimeque tuta sunt. Magis emetica refracta dosi, ut sudores, & urinas cieant, data laudis capacia sunt. Hunc in finem scrupulus, drachma dimidia, integrave pulveris Doweri, qui ex unciis tribus cum dimidia tartari vitriolati & semiuncia specacuanhæ, & opii conficitur a) cum fructu cysmate injicitur b) & granum unum, alterumve turpethi mineralis cum æquali camphoræ quantitate mixtum ore ingeritur. c) Verum tamen ut hydrophobo, qui summe irritabilis, ad inflammationem admodum dispositus vel inflammatione etiam obsessus est, sudor & urina moveatur, emeticum exhibere, non consultissimum est. Itaque sudorem & urinam remediis consuetis movere præstat.

§. 34.

Malis a veneno agente productis, cum varia sint, affectiones nervosæ, febris inflammatio, virium dejectio, bibliosa, pituitosaque ventriculi saburra &c. varia etiam ratione medemur.

e 2

§. 35.

a) Dispensat. edinburg.

b) Fothergill, Londner medicinische Bemerkungen und Untersuchungen.

e) James, Methode nouvelle de preserver, & guetir la rage 1760.

§. 35.

Affectioibus nervosis remedia a vi nervos solante celebrata opponimus. Non autem nervina solum, camphoram, moschum, castoreum, asam fætidam, succinum, sal, spiritumve cornu cervi, aut salis ammoniaci, tincturam eau de luce, valerianam sylvestrem, corticem peruvianum &c. verum ipsum etiam narcoticum opium audaciore etiam dosi grani unius, & duorum pondere exhibemus. Eaque, cum hydrophobus omne aquosum respuat, formam boli commodissime ingerimus. Nec internis solum remediis, verum etiam externis utimur. Balneo tepido stricturæ, & spasmo universi corporis, clysmate emolliente colicæ, inunctione oleosa oleo olivarum simplici, aut camphora, & opio imprægnato peracta doloribus partis demorsæ, v. g. brachii, emplastro de labdano multa extracti thebaici copia mixto ad collum, & cervicem applicato faucibus quam maxime patientibus succurrimus. Efficacia harum remediorum insignis est. Hinc. cl. viri Sauvages, Arrigoni, Duhaume, Tissot, Launne, Ehrmann, Portal tanti æstimant, ut iunctionibus mercurialibus junctâ omni non admodum progressæ hydrophobiæ curandæ paria habeant.

§. 36.

Febri, inflammationi potu, nisi aquæ metus prohibeat, antiphlogistico, clysmate simili, venæ sectione prospicimus. Princeps auxilium venæ sectio est. Hanc plerumque insignis morbi emendatio excipit. Hinc larga fieri, & bis, ter, aut etiam quater pro re nata repeti solet. Quidam a) sanguinem ad animi deliquium usque mittere suadent. Gravi ejusmodi sanguinis jactura hydrophobia debellata b) & alio in ægro admodum levata legitur. c) Hæc autem medendi ratio noxia esse potest.

Vi-

a) Boerhaveaphor. II44. Mead. libr. citat. Duhaume Lettre d'un Medicin de Paris à un Medicine de Province sur le traitement de la rage 1776.

b) Academ. des sciences Pann. 1699. Hist. p. 58.

c) Medical. Essays T. 5. part. 2. 51. §. p. 592.

Vires enim vitæ, quas, ut venenum expelli possit, rigere optamus, prostrernere, aut subitaneam etiam mortem inferre valet. Itaque moderata, & pro re nata repetita venæ sectione uti præstare videtur. Si inflammatio pharyngem, œsophagum, asperamve arteriam tenet, cataplasma emolliens collo utiliter admovetur. Plus autem emolumenti emplastrum vesicatorium collo, nuchæve applicatum promittit. Ejus enim ope magna venenatæ salivalis materiæ vicina vehementer irritantis, & inflammantis pars faucibus subtrahitur, & aptiore loco effertur. a) Bene etiam ad inflammationem præcavendam applicari posse videtur.

§. 37.

Vires vitæ, si depressæ, si prostratæ sunt, erigimus stimulo, vario languoris gradui, reliquisque morbi symptomatibus a debilitate differentibus accommodato: moscho, castoreo, camphora, sale volatili, valeriana sylvestri, serpentaria virginiana, radice arnicæ, cortice peruviano, epispaticis, vesicantibus.

§. 38.

Vomituritus, vomitus materiæ biliosæ pituitosæque emeticum poscit. Hoc & saburram, & venenatam omnia pessumdantem salivam in ventriculum forte delatam ejicit. Hinc morbum insigniter levasse tegitur. Cum autem primarum viarum tractus in inflammationem pronissimus vix acre perferre possit, emeticum lenè esse oportet.

Diætavarix morbi indoli sit accommodata; in genere dicendo sit tenuis, & vel refrigerans, vel calefaciens.

a) Duhaume, Hele, Layard, Flachslund, libris citatis.

§. 39.

Subinde contingit, ut æger curato etiam morbo admodum debilis, aut admodum nobilis, & meticulosus sit; hoc in casu cortex ꝑ ruvianus, num, castoreum, asa fætida &c. grata cum amicis conversatio, ambulatio &c. sanitati integritatem affert.

§. 40.

Hiscæ de hydrophobia dictis pauca quædam de modo, quo rabies canum, & rabiei communicatio præcaveri possit addere lubet. Cum enim in þlosa urbe, & regione rabiosis canibus infestam nem rabiei, & ita hydrophobiæ occasionem prædere, res aut necessaria, aut laudabilis sit, hoc addidamentum non superfluum esse videtur.

Ad hunc finem consequendum imo canum numerus imminuendus est. Vagus igitur, heroque destitutos canes occidere oportet. Hi enim ex fame, victu pravo, putrido, ex æstu, geluve sæpissime rabiosi fiunt. Canes quoque ad œconomiam non requisitos e medio tollere expedit. Id quidem difficile fiet. Si tamen pro quolibet cane superfluo certa pecunia vitæ generi accomodata quotannis solvenda irrogetur, plerisque canem dimittere quam conservare præplacebit. Nobilibus tamen ad fallendum tempus unus, alterve canis concedendus esset.

2do. Causa rabiei a canibus removendæ sunt. Hinc canes æstate a vi coloris, hyeme a vi frigoris arceantur, cibo apto, & aqua recente nutriantur.

3tio. Infectionem a cane rabido metuendam prævertere oportet. Itaque canes rabidos in viis occurrens ocyssime quocunque modo occidatur. Occisor præmio a principe statuto non indignus erit. Canis autem, cujus valetudo suspecta est, includatur, & si rabie incipiente affectus videtur, propinato pharmaco, turepθο minerali, helleboro albo &c. sanetur; si autem jam progressa laborat, sine mora interficiatur. Rabiosi canis domuncula, & quidquid
ejus

ejus saliva contaminari potuit , igni sub dio excitato committatur.

4to. Infectione facta eruptio morbi omni modo cavenda est. Quare animal a rabioso cane vulneratum aut illico nocetur , aut ab aliis animalibus separatum peculiari loco includatur , aptaque curatione non a plebe , non ab agyrta , sed a medico , chirurgoque directa sanetur , rabie autem jam correptum aut occidatur , aut inclusum fato suo permittatur , & quidquid ejus saliva infectum fuit , comburatur. Homo autem ab animale rabido demorsus illico vulnus aqua salita , urinae eluat , aut ferro ignito inurat , & rejecto omni medicastris consilio ad medicum , chirorgumque confugiat.

T H E S E S.

1.

Hydrophobia a causa venenata duplici originem trahit.

2.

Venenum alterum in solo canum genere a peculiari succorum corruptione, alterum in vario animalium genere, & in ipso homine a systematis nervi turbis nascitur.

3.

Natura veneni canini incognita est.

4.

Communicatione solius salivæ intervenit.

5.

Non solum morfu in corpus immissum, verum etiam per os ingestum, & cuti applicatum nocet.

6.

Hydrophobia morbus nervosus est.

7.

Mirabile morbi symptoma aquæ metus non a pharyngis, œsophagi, & asperæ arteriæ inflammatione,

8.

Sed a difficillima & maxime dolorifica liquidorum deglutione,

9.

9.
 cujus causa fibrarum muscularium pharyngis,
 & œsophagi spasmus est,

10.

et a singulari ægri adversus fluida antipathia
 pendet.

11.

Venæ sectio morfu ab animale rabido influcto
 absque insigni plethora nocet.

12.

Inustio, & abscissio partis morfu cæsæ matu-
 re, & rite instituta infallibile remedium est.

13.

Sæpe etiam vulneris ope aquæ salitæ elotio,
 dilatatio, scarificatio, & cucurbitarum applicatio
 omnem medelam absolvit.

14.

Hirudinum ad locum demorsum, & vicina
 admotio a recentioribus commendata dictis veterum
 auxillis præferenda non est.

15.

Ulceratio loci demorsi nunquam negligenda est.

16.

Ad hanc pulvis cantharidum optime infervit.

17.

Mercurius tam ad arcendam, quam ad curan-
 dam hydrophobiam princeps remedium est.

18.

Vivus arte chemica alterato plerumque præferri debet.

19.

Hic autem inunctionibus optime in corpus immittitur.

20.

Certius secretiones & excretiones maxime salivales augendo, quam vi specifica prodest.

21.

Salivatio tamen nec ad prophylacticam, nec ad therapeuticam hydrophobiæ curationem requiritur.

22.

Egregia etiam remedia sunt: Belladonna, moschus, sal alcalinum volatile, acetum, cinnabaris, antimonium, cantharis, meloe mafalis & proscara-bæus.

23.

Balneum frigidum ad hyperphobiam arcendam utilissimum; ad curandam autem maxime noxium est.

24.

Balneum tepidum in utrumque finem præstans auxilium est.

25.

In hydrophobiæ accessu venæ sectio ad animi deliquium usque commendationem non meretur.

26.

26.

Emeticum in hydrophobia exhibendum lenè esse oportet. Ipecacuanha igitur celebrato turpetho minerali anteponenda est.

27.

Vesicantia collo potissimum applicata egregios in hydrophobia effectus promittunt.

28.

Optime hydrophobiæ medemur, si cum mercuriali medendi ratione diaphoreticam, diureticam, & antispasmodicam jungimus.







